VENETO

L

Di Sop.ª

Sc. V

6.A.15

ATENEO VENETO
VENEZIA

APPENDIX
AD
ANIMADVERSIONES
IN
PHARMACOPOEIAM
AUGUSTANAM, EJUSQUE
ANNEXAM MANTISSAM.

ITEM AD
PHARMACOPOEIAM
REGIAM
SEV
DISPENSATORIUM
NOVUM;

IN QVA
OBSCURA EXPLICANTUR, ET
notis perſpicuis illuſtrantur, nova inſuper
& ſecretiora remedia adjiciuntur.

Operâ & ſtudio
EJUSDEM AUTHORIS
JOANNIS ZWELFER
PALATINI. M.D.

ATENEO VENETO

GOUDÆ,

Sumptibus GULIELMI vander HOEVE.
M.DC.LVIII.

BIBLIOTECA
CENTRALE

SERENISSIMO, POTENTISSIMO
PRINCIPI, DOMINO DOMINO
LEOPOLDO
HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ
REGI
ARCHIDUCI AUSTRIÆ,
DUCI BURGUNDIÆ, STYRIÆ,
CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET
WIRTENBERGÆ, &c. COMITI
TYROLIS, &c.

NOviter in Medicæ artis cenſuram prodeunti labori meo, ut publici favoris viam benignitate Regiâ aperias, facilè exorari Te ſines, REX SERENISSIME POTENTISSIME: Tu enim clementiâ illâ Domui Auſtriacæ innata, non poteris non dignari clientem, qui ad votum Tuum, juxta illud, Suprema Lex Salus populi eſto, avidiſſimè conſpirat; dum errores circa genuinam componendorum & præparandorum medicamentorū Methodum paſ-

sim committi solitos, quibus populus in dispendium æris & valetudinis sæpè sæpius præcipitatur, in lucem omnium profert, detegitque, ut hac etiam in parte subditi Tui feliciùs vivant. Quod verò audaciore fronte in Majestatis Tuæ conspectum se sistere, & ad virtutis Austriacæ pluribus faxint Superi, coronis laureandæ! tholos suspendi gestiat Opella hæc mea, eo optatu, ut reperiat illic asylum, & sub Regiis anciliis tutamen contra tot apertam hâc in causâ veritatem cum juge orbis allatrantium Zoilorum odium & invidiam, non opus erat incitamento alio, quàm quòd primâ editione apud Serenissimi Fratris (invidentibus Terræ Cœlis tantum thesaurum, ideoque inter indigetes ἐν τοῖς ἄγλοις transpositum) Regiam Clementiam non passa repulsam, Successori per singularem Numinis providentiam sapienter Nobis proviso totam sese debere humillimè protestetur, agnoscatque eodem tramite sibi tendendum auctæ, quô præiverat antè. Qua propter hanc opellam meam auctam, dum ad Regium obsequium reverenter demitto, eamque in debiti & subjectionis tesseram

tesseram clementissimè recipi & foveri exopto, simul etiam indefessis precibus Regem Regum, ut Majestatem Vestram, Austriacæ Dominationi firmamentum, subditis Principem, Orbi toto & generi humano Delicias, longævâ felicitate pennare jubeat, & conservare dignetur humillimè oro, addito eôdem, quo priorem dedicationem concluseram voto,

Ut Regna adjungat Regnis, nova Sceptra Coronis

REGIÆ MAJESTATIS

VESTRÆ

æternùm devotus

JOANNES ZWELFER.

PRÆFATIO

Benevole Lector!



Uis istis temporibus, nescio quo genio malè persuasi arbitrantur, saluberrimam præparandorum & componendorum medicamentorum artem à veneranda antiquitate ùt inventam, ita satis excultam ad id fastigii exsurrexisse, ut qui ei aliquid conatur addere, is cum Gigantibus impiam Cœlo mononachiam movere dicatur; sed, hîc & nunc Jovi Statori aram ponendam, nec cogitandum de plus ultra, & omninò Veterum vestigiis insistendum; Illi, inquam non exiguam ingerunt Rei Medicæ injuriam, dum recentioribus ingenii sui divino igniculo suscitati fœtum, in publicum emolumentum conferentibus litem movent; à qua tamen immunes & absolutos esse jubent Galenum & Arabes, quorum hi in Galenum, iste in Hippocratem additamenta, id est, eandem culpam committentes, fecerunt. Profectò si & hi ætate suâ similiter sensissent, næ, vix umbram veritatis haberemus, ipsâ veritate in putei fundo, seu ignorantiæ tenebris adhuc immersâ. Erat nimirùm seculo Hippocratico Medicina embryonis instar, à divino Sene veluti recens concepta, rudi membrorum adumbratione confusa, quam dein veluti ursi partum informem Galenus, Hippocraticæ Majestatis assertor, lambendo, id est, libris de Compositione Medicamentorum & aliis, paulò distinctiorem reddidit & perfectiorem; ita tamen, ut & posteris Arabibus Mauritanisvé locum reliquerit minimè angustum, suæ etiam segetis messem in horreum medicum convehendi. Cùm enim apud Hippocratem & Galenum vix audias præter Peplium, Colocynthidem, Esulam, Veratrum & similia extremarum quasi torturarum instrumenta, quorum usus tot præcautionibus vix satis circumseptus etiam peritis adhuc horrori est, isti Arabes locuplete benigniorum remedio-

mediorũ ſuppellectile rem medicam ditârunt auxeruntque: undè quòd incognitam Rhabarbari radicem ſciamus purgare flavam bilem ſuaviter; Senæ folia ſine querela eſſe vacuando humori atro; Lariicis fungum Agaricum ad phlegmaticam ſaburram non violenter everrendam dicatum; Saccharum, Mannam, Caſſiam, & ſexcenta alia Pharmacopolii pyxides eleganter non minùs quàm abundè diſtinguere, totum experientiæ eorundem debemus, qui, quæ in Veterum mentem haud deſcenderunt, labore improbo aperuerunt, ſuis vigiliis priorum induſtriam ſuppleverunt, &, ut paulò jucundiora remedia extarent, effecerunt. Sed quid hæc noſtra commemorem? quis illorum vel aquæ Roſaceæ ſaltem eleganter deſtillandæ rationem tradidit? quis Olei Still. Eſſentiæ genuinæ, Magiſterii veri & ſimilium artificium literis conſignavit? Undè meritò ſentiendum, multa illos ſciviſſe, plura latuiſſe. Etenim DEUS ſuorum bonorum in tempore, pondere & menſura pro ſanctificantis ſuæ voluntatis benè-placito Diſpenſator juſtiſſimus non totum ſeſe in codices Veterum (ut araneus telam ſuam,) exhauſit, quin huic & futuris ſeculis quædam reſervaverit. Conſideremus porrò & oculis noſtris ſubjiciamus præparationes antiquorum, quid aliud ſunt, quàm externas tantùm ſordes abradere? ſuperficietenùs impuritates abluere? noxias qualitates Saccharo & Melle (ad palati ſolummodò decipulam, quicquid interim contactô præcordiorum horrore & nauſeâ ſentiat ſtomachi Oeconomus) non dico corrigere, ſed duntaxat fuco quaſi oblinere? Coquus certè, qui animalium interanea ſincera, id eſt amureâ ſecum adhuc fœta, tetro eorum ſapore per multitudinem aromatum tantiſper ſopito, & fœtore per Ambræ Moſchique ſuaveolentiam ſuppreſſo, menſæ tuæ apponeret, multis ſtultus hic Magirus vapularet. Quod ſi morbo decumbentibus (ne, quod animo ſtat minuere, plus generetur excrementi, neve hebetiores ad ſolidoris

cibi concoctiorem impuresque vires penitus opprimantur) exhibemus non cibos sanorum trituratorum modò coctos, sed abjectis siliquis in Contusa, Consummata, aut Gelatinas redactos offerimus, cur idipsum operâ non minùs necessariâ non liceat in præparatione medicamentorum? Undè Galenus cùm animadverteret, naturam à primo generationis exordio, & in ipso matris utero spagyricam therapiam exercere, & per varias alimenti jam assumpti metamorphoses, antequam in deperditæ substantiæ locum, optimam etsi minimam illius portionem nostri corporis partibus adjungit, in ventriculo, hepate, corde, pulmonibus, arteriis, venis, & singulis denique partibus, tanquam variis digestionum culinis, multiplicem inutilium ab heterogeneis partibus perficere separationem, intimo animi voto exoptavit simia & imitator fieri naturæ. Viderat sagaciissimus salubrium Indagator, simplicia medicamentorum corpora, quemadmodum nobis à natura suppeditantur, non pura, sed compluribus excrementis mista: sæpè in unius medicamenti corpore, sub unâ quâdam communi formâ plures partes essentiales diversarum virtutum, non à naturâ sed ab arte naturam perficiente, separabiles contineri, sæpè qualitates sibi invicem, aut naturæ nostræ manifestâ vel occultâ antipathiâ peculiariter adversas, & non rarò plùs mali in medicamento, quàm in morbo latere: idcircò propter inconvenientem facultatum compositionem certas nostri corporis partes lædere vel juvare, neque semper crudum & integrum simplex quibusvis individuis posse adhiberi, stimulo sciendi compulsus, 1 *Simpl.* 17. *scripsit, se promptissimè omnia pericula subiturum, si quam machinam vel artem posset invenire*, (de aceto loquens) *sicut in lacte contrariarum partium, seri coaguli, & butyri separationem instituendi.* At facili sanè negotio Galenus hujus voti compos fieri potuisset, si ea, quæ de Theriaca ad Pisonem c. 18. scripsit, ad elegantiorum medicamentorum præparationem transtulisset, cum dixit:

Ignis

Ignis multa efficit meliora, & interdum latentem rerum naturam detegit, quædam etiam, in quos volumus usus, ignis aptæ reddit. Aurum quippe igne à nobis examinatur, & hoc pacto purum ab impuro separatur: Nonnulla quæ nutrimenti causa sumimus, igne nobis idonea redduntur: Panis & pecudum piscium que carnes, quamdiu cruda sunt, non appetuntur, at ubi cocta fuerint, etiam in nutrimentum cedunt. Denique multa reperiuntur ad structuram medicamentorum attinentia, quæ, donec priscam suæ naturæ rigiditatem servaverint, acerrima sunt & corporibus inimica, ignium autem virtute temperata, nobis idonea fiunt. Sed Pyrotechniæ laboribus deterritus in vulgaribus substitit, & non solùm ingratum, sed etiam agonisticum catharctici haustum exhibuit, quo paulò delicatior æger, visô etiam vix poculo, solâ nauseabundâ saporis & odoris phantasiâ exhorrescens, & quasi aliquâ vi magneticâ concitatus ἄνω κὴ κάτω, susque deque quicquid intra ventriculum boni malique nullo discrimine continetur, eructat; dum interim hodierni temporis Medici, ingenioso Pyrotechniæ beneficio, ad omnium morborum genera, non solùm è familia plantarum & animalium, sed etiam è mineralium & metallorum regno, saluberrima morborum remedia, parvâ & jucundissimâ saporis dosi promptissimè in actum deducenda, veteribus penitùs ignota adinvenerunt: Ex quibus feroci purgantium veterum impetu valere jusso, in ægrorum incomparabile solatium gratissimæ potiones concinnantur, & per prudentem simpliciũ præparationem, artificiosam eorundem compositionem, gustûs, odorisque lenocinio, dosis parvitate & operandi celeritate antiquorum nauseabundis formulis jucundissimâ permutatione substituuntur. Nec dum tamen exhausta est omnis nova excogitandi & præclara inveniendi facultas. *Multum egerunt, inquit Seneca, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: multum adhuc restat operæ, multumque restabit; neque ulli nato post multa secula præcidetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.* Hinc cùm tanta Dispensatoriorum &

PRÆFATIO.

Pharmacopœiarum farrago ſit, ut pleraque talia volumina tenebris potiùs opprimenda, quàm nova in lucem videantur edenda: Et præter eà haud pauca in illis omiſſa, plurimaque perperam tradita ſint; Idcircò volui & ego, cùm in præmiſſis Animadverſionibus, tùm hac Appendice meas adinventiones ex vera ratione & experientiâ conſcriptas, nemini tamen adhuc viſas vel animadverſas ad ſolatium deliciumque generis humani Doctorum Virorum cenſuris & examini ſubjiciendas in publicum orbis theatrum proferre. Et licet etiam præmiſſæ in Pharmacopœiam Auguſtanam Animadverſiones non paucis fortè in arte peritis ſufficiant, ut juxta illarum regulas compoſitiones impoſterum concinnè conſcribere, nec minus dextrè & artificiosè elaborare, queant: Verùm, cùm etiam ſint non pauciores, qui mentem meam nondũ intimiùs advertant, ſeipſos ſiniſtro judicio, quod ſæpenumerò inaudire oportet, prodendo, ac præterea plurima neceſſaria notatuque digna reſtent adjicienda, propterea ratus ſum, me non ineptè facturũ, ſi præmiſſis Animadverſionibus, ubi fortè alicui obſcuriores videntur, lucem clariorem adferam, adjunctis rationibus perſpicuis, monitiones illas & regulas ad amuſſim rationis phyſicæ & experientiæ directas, imò unicè neceſſarias eſſe; Et tandem quæ manca & rudia quaſi mansêre, plurimis remediis ſecretis, aliisq; ſcitu haud indignis excolam. In quibus omnibus ſi quidpiam in proximi commodum, cujus utilitati me ſemper devinctum agnoſco, excogitatum intellexero, utrique noſtrûm gratulabor: Si verò meliora noſti Lector candide, ea citra ſarcaſmum & livorem communi ægrorum ſaluti candidè etiam communica, & ex meo voto ſemper vive felix, donec vivas Mannâ & Melligine tangas.

NOBI-

NOBILIS, EXCELLENS,
AC EXPERIENTISSIME
DOMINE DOCTOR
SALUTEM!

Liceat mihi, Amice nominibus multis veneran-de, tui Te promissi admonere; quanquam enim Animadversiones tuæ in Pharmacopœiam Augustanam editæ, luculenter satis aperiant erro-res, hactenus in præparatione medicamentorum, damno totius rei medicæ non minimo commissos, & detegant, ut non Pharmaceutica tantùm Ty-ro, sed etiam divinæ Hygiiæ sacris jam initia-tus practicus (& fortè nonnemo Veteranorum) ex salebrosis erran-tium mæandris in viam regiam, ad genuinam nimirum componen-dorum & præparandorum medicamentorum methodum, consultis Naturæ abditis & penetralibus intimioribus, reduci queant, multis-que etiam in vitam sufficiant, quas jam tum in Æsculapii templo Apollineis, tholis affixisti tabulas, perspecturis in illis, quid dedis-cere, quid addiscere oporteat: quia tamen animus humanus nullius un-quam doctrinæ mensurâ (solo Deo summo bono in longum latum & profundum explendus) expleri potest, unde is millenarum artium & scientiarum quàm latè illæ etiam pateant; ambitu haud coërci-bilis fertur plus ultra, semperque restat in rasamentis nostræ tabulæ, quædam quasi ignorantiæ labes & macula, quæ unius cujusdam eruditionis sapone detergeri, & uno aliquo scientifici habitûs peni-cillo deleri opus habeat. Id ipsum ipse innuisti, dum emblemati Pharmacopœiæ Regiæ adnexuisti aucta redibo, *quod promissionis cer-tæ vice plures mecum accepere. Quidquid igitur est, cum hæc ipsa epi-graphe documento mihi sit, omnem Te tuam scientiam & naturæ-lium rerum cognitionem in Animadversiones nondum exhausisse, liceat mihi (inquam) tui Te promissi admonere, & pro multis intercedere qui augurio haud vano pollicentur sibi ea, quæ quivis in arte nondum Magister desiderare potest, Te augmenti aut mantissæ loco in publici commodi favorem libenter & candidè conferre velle, & ubertim etiam collaturum. At forsitan deterret ingratorum mul-torum malevolentia? aut jejunum Zoilorum judicium? aut etiam truculentæ in ipsam (ut audio & doleo) vitæ tuæ perniciem jurata invidia? quæ philautiæ lenocinio sibi adulatrix omne, quod non suum, reprobat. Sed, nullius*

Iustum & tenacem propositi Virum
Error Priorum prava jubentium,
Nec vultus indocti Magistri
Mente quatit solidâ; quin immò

allatrent præsidem noctis Phœben canes, dummodò illa tristibus Viatori tenebris non eripiat iter facienti vestigia. ringantur Zoili ilia. intestina Momi crepent, dum Tu bonis, aut si mavis (sicut Sol, super bonos & malos, triticum & zizania, lucem spargit) omnibus non deneges illa, quæ omnibus commodo, totiq; rei medicæ ornamento, Tibi etiam merito honori futura sunt. Perge igitur tam genio tuo, quàm generoso scriptæ tuæ ex condigno aventium popysmate concitatus, labore improbo, per Virtutis ædem in Honoris templum justo gradu conscendere. id est, reviде Animadversiones tuas, augmentoq; liberali insomnium noctium vigilias, & antelucana tua opera suavissimos fructus ipsis Hesperidum pomis apud Bonos omnes gratiores, quia pluribus, quæ videre contigit, scriptis meliores in penum medicam Conduis Promusq; solertissimus reconde palato inservituros eorum, qui jam doctrinæ tuæ ambrosiâ ebrii nórunt, quàm distent æra lupinis, & quàm artificium tuum componendorum & præparandorum medicamentorum differat à culinariis vulgi decoctionibus & præparatis. facque demum, ut ne concreditum Tibi desuper talentum fœnori in Medico Apollinearum Mystarum amphitheatro exponendum, eôdem quo corpus tumulô defodi & contegi velle argui possis, & meritò traduci. Hoc de & à Te expectant omnes boni: si quos verò ut permulti sunt indignos reputes quibus tam pretiosas margaritas ante pedes projicias; memineris tamen, præstantius esse paucis Bonis placere, quàm errantium multitudini abblandiri & adulari. nullius igitur contemptûs machinâ, & ab insanioribus tantummodò artis q; ignorantibus vibrari solitâ dimotus, nullius contrariâ authoritate deterritus, aude edere tua, vel hac solâ ratione quia digna. Sic officium tuum Tibi probabis, bonum erroneæ ignorantiæ monstrô devictô certamen certabis, fidem quam meliore Tui parte hoc est ingenii fructum rei medicæ debes servabis, ut de reliquo maneat Tibi corona gratitudinis reposita, in gratâ posteritatis animo, quo nominis Tui fama transcribatur in memoriam Orbis sempiternam, ita voves, & Te benè in nostrum commodum valere cupio

Nomini tuo

obsequiosè devinctus

Olomucii Marcomannorum
metropoli. pridie Kalendas
Aprileis. 1656.

Joannes Chrysostomus Irmler,
M. D. inclytorum Ordinum Moraviæ Medicus Provincialis.

Una

I.

UNa tuebatur primum natura ſalutem:
Præbebat cœnam fagus & unda brevem.
Ingenioſa graves gula morbos intulit ævo,
Et Venus ignoto traxit ab orbe luem.
En novus hinc medicis crevit labor, & nova cura:
Vix mens naſcenti, vix manus aptà, malo.
Hinc vaga ſeplaſiæ titulis faſtigia ſurgunt:
Simplicitas, Coö quæ fuit antè, jacet.
Non ſua vis herbæ, medicus nî ſurroget aurum,
Antidotumque novam, ſeu thymiama crepet.
At bene ZWELFERUS, nunc alter in orbe Machaon,
Paucis naturæ conſuluiſſe docet.
Credite tradenti quæ vidit: cedite vero,
Cui caput ac fidei dux oculata manus.

Iohannes Rhodius,
Patavii.

II.

Nobili & Excellentiſſimo Viro
Domino
JOHANNI ZWELFERO, Med. Doct. Celeberrimo,
cùm magno PHARMACEUTICES Bono
APPENDICEM meditaretur,
In hactenus non ſine Eruditiorum applauſu
edita.

DUm Chemicos iterum luſtras SWELFERE receſſus
Et VERI & RARI quid ſit in Arte aperis,
Pharmaca quâ Curâ, quâ ſint quoque lege paranda,
Queîs egrotantûm ſtatque caditque Salus;
Falſa ideò abſcindis, vera addis, manca reſarcis,
Sicque novum & prorſus nobile cordis opus,
Accipe quam laudem ſuper his ferat ipſius APOLLO:
ZWELFERVS verè eſt nunc MEDICVS MEDICIS!

Egregio VIRO, deque univerſa Pharmaceuticæ Meritiſſimo

Lmque in benevolentiæ fidem
ſcripſi
Joël Langelott. D. Sereniſſ.
Holſatiæ Ducis Regentis
Archiater.

Scilicet

III.

SCilicet hîc irêrum ratio vulgata parandi
Pharmaca longinquum migrat in exilium;
Atque Auguſtanus, medicamina plurima tradens,
Denuò luce nitet ſplendidiore liber.
Zwelferi ingenio res hæc accepta ferenda eſt.
Indè libro optatus redditus ille nitor.
Gratius eſſe poteſt Medicis nihil, & nihil ægris,
Quàm ſi expertâ habeant pharmaca facta manu:
Talia Tu, Zwelfere, paras, hinc Induperator
Conſortem Ipſe aulæ Te facit eſſe ſuæ;
Hinc Medici atque ægri æternùm meritas Tibi grates
Dicent, hinc nomen fama loquitur anus.

Excellentiſſimo Domino Autori,
Fautori & Amico veteri

gratulabundus apponebat

Leonhardus Krüger / *Med. D.*
Reipub. patriæ Lüneburgenſis Phyſicus primarius.

IV.

AVrea tradiderant Græci præcepta medendi,
Dura ſed illepidis pharmaca miſta modis.
Mutarunt Arabes. Medicinæ gratia crevit,
Atque bibicupido maluit ore Salus.
Multa tamen deerant, quæ poſtera contulit ætas,
Et Germanorum certus ubique labor.
Nec ſic perfectum eſt. Ipſi ſibi Copia paſſim
Obfuit, audaci crevit ab arte malum.
Quæ bonæ ſunt Virtus legit, & confirmat in uſu,
Paucaque, quæ præſtant, qui ſapit arma probat.
Artis dimidium eſt cauſas aperire latentes,
Et dare, quæ pollent, optima dimidium eſt.
Qui dextra, ZWELFERE, vales, qui pectore docto,
Cui morem rerum flamma magiſtra gerit,

Per Te nunc capiunt proprias medicamina formas,
Per Te nunc agris totus Apollo placet.

J. ZWELFERO,

Clariſſimo & feliciſſimo
Hygiæ Antiſtiti,
Ob virtutem & merita,
Amicitiæque inſuper & memoriæ
cauſa,

Applaudit Hamburgi

Michaël Kirſtenius,
Ph. & Med. D.

M. Auguſt. A. C. CIↃ IↃ C LVI.

cujus rei
Hoc qualecunque monimentum
eſto.

V.

Nobili & Clariſſimo Domino Ioanni Zwelfero, Philoſophiæ &
Medicinæ Doctori Eximio, nec non Sacræ Cæſareæ
Majeſtatis Medico aulico.

LInea ſi deducta manum diſcernit Apellis,
Aut fortis forti neſcitur ungue Leo:
Conjicient Zwelfere tuum cum Pallide cuncti
Eſſe parem ortum, te progenitumque Jove,
Cujus in arcanis tam dives ſcriptus es Hæres,
Cœperis ut noſtrum his nobilitare ſolum.
Totque Machaonicum Sydus jam nubibus exul
Errorum, auguſtâ Luce redire jubes;
Dicere ut attentem, quod ſerpens Æneus ille,
Hac videatur humo redditur arte Tuâ,
Quem populo Moſes divinâ lege locâret,
Spicula conſpectus qui tulit atra necis
Fictum damnatur cunctis, quòd fecerit una
Glauco longævos herba comeſa dies;
An Zwelfere Tuo non ſit medicamen in Horto
Contra vim mortis, ſub dubio eſt mea lis.
Tali ergò te fama vehat virtuſque volatu,
Quali Rex ales fertur ad alta poli.

Nen

Non mollem ille viam poſt hac proclamet ad aſtra.
Zwelferum virtus jam ſuper aſtra tulit.

Arti Tuæ & Gloriæ

addictiſſimus

Fridericus Müller â Lôwenſtein,
Ill. mor. Inferioris Auſtriæ Status
p.t. Pharmacopœus.

VI.

Sic Zwôlfere probas, quantum illa cupido ſciendi
Rebus in abſtruſis, & quid ſolertia poſſit,
Quid proſit docilis. Meſſis viceſima retrò eſt,
Ambos una domus cum nos ſtudiumque teneret
Pharmaca miſcendi, quam tum mirabor in artis
Te Chymica non vulgaris penetrâre receſſus?
Et mage eam curam poſt abripuiſſe per omnes
Te totum medicinæ partes. Attamen hîc jam
Deſino mirari: Ingenium ſublimius ſemper
Spirabat. Sic namque tibi exhaurire Galeni
Stabat opes, nihil intactumque relinquere agendum.
Teſtis adeſt ſtudii felicis pharmacopœia,
Quam nuper dederas, opus inclytum & utile multis,
Quod memini (taceo plures) par nobile fratrum,
Summum Slegelium, magnum quoque Dietericum,
Quorum nomen honos, laudes poſt fata manebunt
Arti dum pretium fuerit celebrare rotundo
Ore; quod elogium artificum tibi paginam utramque
Conficiet. Nunc excellens operi ergo quod addis
Laude pari dignum, atque animos æquabit olympo.

In priſtini amoris, & nunquam non probati candoris reminiſcentiam applaudit

Johannes Kramer, pharmacopœiæ olim artis ſtudioſus, nunc Materialiſta Hamb.

JOANN.

JOANN. ZWELFERI
Palat. M. D.

APPENDIX
AD
ANIMADVERSIONES
IN
PHARMACOPOEIAM
AUGUSTANAM,
EIUSQUE
ANNEXAM MANTISSAM.

Quòd Medicamentorum plures compositiones inveteratâ consuetudine in publicis Pharmacopoliis prostent, licet de illis intra annum vix exscribatur uncia aut drachma, haut minima hucusque Pharmacopœorum fuit querela: Namque facilè advertere est, sumptu non exiguo pro superfluis plurimis fieri expensas, ità ut cui Pharmacopœo copia æris facti non sit, totus illis exhauriatur, impos ad magis necessaria futurus. Inter tales compositiones primum, ordine & multitudinè inutili, tenent locum Syruporum alterantium haut pauci, qui vel rarissimè à Medicis in usum trahuntur, sive ii tradantur oblivioni, sive quòd cùm copiam Sacchari ad sui conservationem, quâ incorrupti in unum vel alterum annum durent, requirant, nauseabundam & vel insalubrem constituant medicinam. Proindè, licet is ego non sim, cui data sit potestas pharmacopolia reformandi, omninò tamen consultum, & è rebus Medici, Pharmacopœi & Ægri bonis esse firmiter assevero, præstare, carere pluribus compositionibus, quæ raros veniunt in usus; eorum autem loco, si quando tempus & ratio ita postulat, præparare ex ingredien- *Classis prima.

tibus illorum Apozemata cum pauciore Saccharo, ut quæ in plures annos non asservanda, sed in pauculos dies dispensanda destinantur & præscribuntur. Inter illos Syrupos autem non minimi momenti est is, qui de Absinthio dicitur, præstantissimus sanè ob ejus ingredientia, in roborando ventriculo, ni nimiá quantitate Sacchari illa opprimerentur. Potest autem efficacissimus potus vel Apozema stomachicum, ex iisdem Syrupum hunc ingredientibus, solo dempto vel diminuto Saccharo, parari, quod palato jucundius, ac insuper in effectu efficacissimum existet. Modus autem sit talis:

Apozema Stomachicum.

Recip. *Absinthii Pontifici seu Romani, aut si mavis nostratis libram semis,*
Rosarum rubearum uncias duas,
Spicæ Indicæ drachmas tres,
Incisa saltem parumper, vasi sive stanneo, sive terreo vitreato immittantur, & superfusis
Vini clari veteris opt.
Succi Cydoniorum recent. ana libris tribus semis,
Stent in infusione loco calido, vase benè obturato horis tribus vel quatuor, pòst colentur, colaturæ addendo
Sacchari albiss. uncias quatuor circiter,
Vel quantum Patienti & Medico libuerit, nam *Saccharum* saporis & dulcedinis gratiâ tantùm, ad demulcendum saporem ingratum & amarum additur. Item instilletur
Spiritus Vitrioli q. s.
Pro grato sapore, ad majorem viscerum corroborationem, filtretur per manicam Hippocratis, aut per residentiam depuretur, fiatque potio clara non injucunda, ventriculum & hepar insigniter roborans.

Nota: Si superioribus speciebus vel ingredientibus infusioni destinatis, plura ventriculum roborantia simplicia addere libuerit, utpotè *Cinamomum*, *Nucem Mosch. Calam. aromat.* &c. licet. Addo, hæc & similia subsequentia, ut Juniores praxin medicam inchoantes hãbeant formulas & exempla Medicamentorum salubrium ex tempore parabilium, juxta quæ, si fortè effœta illa ac vetustate corrupta medicamenta & composita illis non arriderent, sua ægro & tempori accommodare possint. Syrupum Acetositatis Citri quod spectat, in ejusdem Animadversionibus *succum Citri* in M. B. ad tertias abstrahere non abs re præcepi, antequam *Saccharum* illi adjiciatur: Nam *succus Citri* quò submissiore ignis gradu, nullo addito *Sacchar*o, destillando abstrahitur, eò clarior permanebit, nullâque rubedine inficietur, acciditate insuper suâ integrè in residuo manente; secus eveniet, si is

Succus Citri cur in M B. ad tertias pro Syrupo

aperto

aperto igne Saccharo commixtus lentè & diu coquitur, solent enim *acidi liquores Saccharum* evidente rubedine inficere, si diutiùs cum eo digerantur aut coquantur.

abstrahendus.

In præparatione *Syrupi Acetosæ ex succo*, item *Acetosellæ*, si Pharmacopœi imitari velint moduni in Animadversionibus *Syrupi de Melissâ & Betonicâ* indigitatum, haut quaquam perperam fiet, quippè quò majores virtutes in Syrupum vel aliam medicamenti consistentiam coarctari possint, eò majus Patienti vel ægroto emolumentum, & cùm Medico tùm Pharmacopœo laudem conciliabunt.

Syrupus Acetosellæ & Acetosæ qualiter parandi.

In Syrupi Acetosi simplicis præparatione hoc observetur, ut si Pharmacopœi *Saccharum purissimum Canarium* addere parcant, malintque, quod quidem non perperam fit, quodammodo impurum, *Mellis* aut *Farinæ* uti vocant, sumere, ut illud *albumine ovi*, *aquæ s. q.* affusâ clarificent, & ad consistentiam tabulati coquant prius, quàm *acetum* addant, ne res quædam heterogeneæ, *Saccharo* impuriori commisceri solitæ, ab *aceto*, dum illi non clarificato, sed adhuc impuro affunditur, solvantur, & consequenter Syrupo pòst maneant non sine incommodo permistæ.

De Syrupo Acetoso simplici.

Saccharum cum Aceto non clarificandum, & cur?

Quod ad Syrupum Acetosum compositum Mesuæ attinet, hoc, Lector Amice, antequam sinistrum feras judicium, observes velim: Nimirùm *acetum sive crudum sive destillatum Vegetabilibus* affusum, non perindè ac si *Mineralibus*, aut *Perlis* sive *Coralliis* admotum esset, destrui, & in aliud ens solvendo prædicta converti, sed integrâ aciditate servatâ, viribus insuper extractarum partium sulphurearum prægnans, longè aliter, ac succi expressi acidi, per Alembicum transire: distinguendum itaque inter acidum naturâ suâ, & acidum arte aut fermentatione factum; hinc dextram hujus Syrupi in Animadversionibus præscriptam præparationem concipies & commendabis.

Acetum Vegetabilibus affusum in aciditate non destruitur.

In destillatione aceti & succorum acidorum ingens est differentia.

Sequens Syrupus Acetosus Diarhodon, quæstiones nobis ventilandas præberet haut paucas, ob *acetum* & *succos* admixtos; verùm cùm paucis comprehendi nequeat, & præscriptâ præparatione non mutatis mutandis vix accuratiorem addere queam, utut sæpiùs eam apprimè considerârim, hoc unicum, ut loco *simplicis aceti vini, destillati* substituatur, monere debui.

Fernelii Syrupus Dialtheæ, ingredientibus ejusdem benè pensitatis, prout etiam in Animadversionibus demonstratum, legitimè parari nequit, idcircò admonitum velim, ut qui vel illo opus habet, aut eo carere non vult, sequentem emulsionem brevi parabilem ex iisdem Syrupum ingredientibus, sibi conficiat curet, modo sequenti:

Syrupus Dialtheæ in emulsionem convertitur, contra urina ardorem.

Recip. *Rad. Althea,*
Graminis,
Asparagi,
Glycyrrhizæ,
Uvarum passarum mund. ana unciam semis,
Cicerum rub. unciam unam,
Cymarum Althea,
Malvæ,
Helxines,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianti utriusque ana Manip. unum,
Coquantur in *in s. q. aquæ simpl. ad libras quatuor*, colaturâ clarificatâ interim servatâ. Jam verò

Recip. *Semin. quatuor frigid. major. excort.*
quatuor frigid. minorum an. drach. tres,
Contundantur opt. in mortario cum *decocto superiore asservato*, fiatque emulsio, quæ colanda, colaturæ adde

Sacchari albissimi Canarii uncias quatuor,
Misceantur pro potu eorum, qui ardore urinæ laborant.

Quam ob causam in Syrupi Aperitivi Magistralis Mindereri dextrâ præparatione nostrâ, *succos* unà cum *aceto scillitico, species alias ejusdem Syrupi* affundere, & ad *libras duas* circiter *liquoris* in arena fortiter abstrahere præceperim; *prioris* tamen *aquæ abstractæ libra unâ* asservatâ, paucis, quàm fieri poterit, dum explico, adverte. Studui unicè in præparationibus hujus & similium Syruporum, ne vel minimum de virtutibus ingredientium coquendo vapore tenùs exhalaret, aut quocunque alio modo deperderetur, sed quantum fieri potuit, licet in rebus quandoque apertè invicem repugnantibus, cuncta sarta tectaque servarentur: Itaque ut subtiliores partes cùm *aceti* tùm *succorum* primâ statim destillatione forti, in arena proliicerentur, *reliquum verò remanentis liquoris* in Alembico, à speciebus per colaturam & expressionem liberati & clarificati in vase terreo vel vitreo *ad libram unam* exhalaret, studiosè attendi: Namque *prior libra aquæ abstractæ* subtiliores spiritus *succorum & specierum reliquarum ingredientium*, nec non *aceti scillitici*, ob fortiorem destillationem in arena admistos habebit; *residuum verò in fundo Alembici decoctum expressum, clarificatum, & ad libram unam coquendo abstractum*, terrestriores vel crassiores, summè tamen utiles & roborantes eorundem partes, ut & *aceti scillitici*, continebit, quæ in unum denuò coadunata liquorem, non possunt non vires suas, debitè exhibita, exserere.

In præparationibus medicamentorum rerum virtutes integrè conservandæ sunt.

Syrupo

Syrupo *Arantiorum ex ſucco*, quò majores virtutes illi imprimantur, poſſunt *aquoſitate ſucci Arantiorum ad libram unam* circiter per Alembicum in M. B. abſtractâ, *reſiduo in curcubita ſucco* aliquot unciæ *corticum eorundem ſcil. Arantiorum* immergi, aliquandiu ſimul digeri, & cum ſ. q. *Sacchari* ſine ulteriore ebullitione in Syrupum redigi, ad normam Syrupi Acetoſitatis Citri Diſpenſatorii noſtri novi; *Succo enim, à quo Phlegma quaſi ad libram unam* in M. B. abſtrahere præcepi, nil de virtutibus ejuſdem demitur, decedit vè: Si verò quiſpiam eximias in *abſtractâ aquoſitate* Arantiorum virtutes latere putaverit, licet *ille ipſe liquor aquoſus* aliàs in Syrupi ad conſiſtentiam juſtam decoquendi præparatione exhalare debeat, is aſſervet *aquam illam* vel *ſuccum deſtillatum*, ac unà cum Syrupo ægrotantibus exhibeat, ſic nulla ſubintrabit perdendæ rei cogitatio.

De Syrupo Arantiorum è ſucco.

Succo Arantiorum, abſtrahendo ejus aquoſitatem, nil de virtutibus demitur, ſed in reſiduo manet.

Sequentes de *corticibus Arantiorum* Syrupi Animadverſiones elegantiâ non minore, quàm artificio, memorandum ejus continent præparandi modum, dignum qui poſteris ſtudiosè commendetur. Etenim ſi prima cum *corticibus Arantiorum* deſtillatio, *vino* præſertim *aquæ* ſubſtituto (vel ſi mavis *vino jam tùm deſtillato Malvatico*, ſi *Phlegma à vino deſtillato reſiduum cum corticibus* nauſeoſum & inutile exiſtimares,) inſtituatur, inſignis profectò odorifera & penetrantiſſima aqua indè elicietur deſtillando, id quod etiam obtuſæ nares dijudicare queunt; *illa ipſa autem abſtracta aqua virtutibus corticum Arantiorum ſubtilioribus carminativis & cordialibus jam imbutæ*, majoribus inſuper viribus novâ *corticum eorundem* immerſione imprægnatur, & tandem, ne ullius rei fiat jactura, quàm operæ pretium ſit aſſervare, nobilitatur porrò Syrupus partibus etiam terreſtrioribus *corticum Arantiorum* perindè neceſſariis roborantibus, *decocto* ſc. ſæpedictorum *corticum*, quod cum *Saccharo* exhalare debet, ut ſaltem extractum *eorundem cort. Saccharo* commixtum maneat, antequam *prior à corticibus deſtillatæ ſpirituoſa & penetrantiſsima, recentibus inſuper corticibus eſſentificatæ aquæ*, competente in quantitate *dicto Saccharo* commiſceatur. Meritò proindè hunc Syrupum, & ſimilem in modū alia parata medicamenta, quorū Cornu copiæ in noſtris Animadverſionibus proſtat, eſſentiæ nomine inſignire poſſumus; quippe omnia, quæ ad veræ alicujus eſſentiæ comparationē deſiderantur, uberrimè in illis continentur: Hinc etiam Syrupum de *floribus Arantiorum* ſimilem in modum conficiendū eſſe arbitror, qui ipſe nō minoribus roborantibus & confortantibus, imò majoribus illô, taliter paratus, viribus erit dotatus.

Ad Syrupum de corticibus Arantiorum.

Syrupi *de Cinamomo* præparatio, paulò compendiosiora viâ quàm in Animadversionibus indigitata est, institui potest. Imitatus enim sum in dictis Animadvertionibus, antiquas reiteratas infusiones, in præparatione ejusdem ab Authoribus studiosè præceptas, ut eò lucidiùs errores, contrariis juxta se positis nimirùm, elucescerent; secus enim, si mei arbitrii res fuisset, haut parùm ab antiquâ methodo, tàm quoad compositionem, quàm præparationem ejusdem jam tùm declinâssem. Poterit igitur, si volupe fuerit, parari juxta sequentem præscriptionem:

Syrupi de Cinamomo dextra præparatio.

Recip. *Cinamomi optimi & acutissimi crassiusculè concisi, uncias decem,*

Cui Cucurbitæ vel potiùs retortæ vitreæ immisso, superaffundantur

Aquæ Cinamomi libras duas,
Vini Malvatici libram unam,
Aquæ Rosarum uncias duas,

Factâ pòst digestione unâ alterâvé die, abstrahantur in arenâ & quidem per retortam vitream *libra una semis, vel libræ duæ*, igne paulò fortiore, *quæ aquæ spirituosæ* interim asservatâ, eximatur *residuum in fundo retortæ Cinamomum, à destillatione relictum*, atque affusâ s. q. *aquæ simpl.* coquatur, *decoctum ejus colatum* clarificetur, & cum

Sacchari libris duabus semis,

evaporet ad consistentiam *Sacchari* pristinam sive tabulati, cui demùm de *superiore aquâ spirituosâ Cinamomi* tantùm addatur, quantum pro justâ Syrupi consistentiâ sufficere videbitur, scilicet *libra una semis, vel ad summum libra una & uncias septem vel octo*, ac solâ dissolutione *Sacchari* sine ullâ ebullitione fiat, Syrupus præstantissimus.

Oleum Cinamomi ob suam gravitem leni destillatione per balneum non prodit.

Auctarii loco adjicio & hanc cautelam, quòd si fortè in destillatione, quàm paulò fortiore igne & per retortam in arenâ perficere jussi, ob *Olei Cinamomi* gravitatem, quod nec leni destillatione balnei prodire, nec nimis in altum scandere potest, *oleum quoddam Cinamomi* una cum *aqua* proliceretur, &, ut solet, fundum peteret, illud prius esse separandum, & ex eo *Elæosaccharum* conficiendum, ne vel fundum petat aut Syrupo supernatet, sed per minima cum Syrupo uniatur.

Olium Cinamomi spiritibus ardentibus illicò dissolvi potest.

Notatur præterea, *spiritu quodam ardenti rectificato*, sive *Rosarum* sive *vini rectificato, oleum Cinamomi* posse dissolvi totaliter, quæ ipsa solutio Syrupo crassiori addi & commisceri posset, quò exactiùs per intima & minima unirentur: Hæc tamen non eâ de causa addenda existimavi, ut ubique locorum Pharmacopœi, sine Medicorum consensu Syrupum hunc

Cina-

Cinamomi, cum *solutione olei ejusdem spiritu vini peracta* conficiant; sed ut saltem appareat, quâ ratione res contrariæ, heterogeneæ, *scil. aqua & oleum* uniendæ, imò quâ ratione ex *solo Cinamomi oleo* vel Syrupi vel essentiæ præstantissimæ confestim sint parandæ, morbis à frigidâ causâ obortis, præsertim in senibus, proficuæ.

Quod Syrupum Coralliorum attinet, quamvis eundem in Animadversionibus legitimè parare edocuerim, nihilominùs cùm fortè ob *succum Berberorum*, quem authores in præparatione ejusdem adhibent, non omnibus naturis, præsertim fœminis, quibus hic Syrupus ut plurimùm dicatus, conducibilis sit, idcircò quasdam alias preparationes addam minimè spernendas, è quibus quilibet eum sibi eligat modum, quem è re sua, ægrisque magis profuturum esse existimabit. Utpotè

Syr. Coralliorum vera præparatio.

Recip. *Vini Malvatici uncias octo vel novem,*
in quo vel
Cortices Citri recentes extimi, vel
Cortices Arantiorum recentes, aut
Cinamomum, Macis, Melissa, Rosmarinum, sive aliud simplex, intentioni & arbitrio cujuscunque Medici accommodum, infusa steterint.
In quo vino dissolve
Magisterii veri solub. n. Coralliorum rub. suo loco edocendi, uncias duas,
Hoc soluto adde
Sacchari albissimi contusi libram unam.
Ac solâ dissolutione *Sacchari* in leni calore fiat Syrupus.

Nota: Quòd loco *vini Malvatici*, *aqua Cinamomi*, *succus Granatorum*, *succus Cydoniorum*, *Melissæ*, *aut alius cordi*, *vel ægrotantibus*, quibus hic Syrupus destinatur, *conducibilis liquor*, sive per se, sive rebus aliis adhuc essentificatus, uti suprà substitui possit; vel etiam taliter paretur:

Alia Syrupi Coralliorum confectio.

Recip. *Cort. recent. Citri,*
Arantiorum extim. ana uncias duas,
Quibus concisis superaffundatur *vini generosi seu Malvatici libra una*, & per arenam in Alembico vitreo abstrahantur *uncia circiter novem*, rostro capitelli immissis,
Granor. Kermes legitim. drachmis duabus,
Croci Austriaci drachmâ unâ,
in petita ligatis,
Cum *liquore hoc abstracto* solvantur,
Magist. n. solub. Corallior. uncia dua,
& additâ
Sacchari albissimi libra unâ,

Fiat Syrupus cordialis præstans, solâ *Sacchari* dissolutione consistentiam adepturus,

Quantum ad Syrupum de *corticibus Citri*, is quidem, qualiter dextrè parandus, in præmissis Animadversionibus indigitatus est, quò Lectorem ad Syrupi de *corticibus Arantiorum* dextram præparationem relegavi; melioris tamen informationis gratiâ addam & hîc similem præparationem, quæ talis:

Recip. *Cortic. Citri recent. extim. uncias sex*,
Quibus concisis & Cucurbitæ vitreæ immissis superaffunde
Vini albi generosi, sive quod melius,
Vini Malvatici libram unam semis,
Et factâ brevi digestione abstrahantur destillando, sive in balneo sive in arenâ, *uncias decem circiter*, rostro capitelli immissis, & in petia ligatis.

Syrupi de cortibus Citri præparatio.

Granor: Kermes legitim. uncia semis,
Moschi Orientalis granis aliquot,
Ambræ etiamsi lubet granis quinque,
Liquori egresso summè odorifero & fragranti injiciantur
Eorundem corticum Citri recent. extim. unciæ tres,
Ac post brevem digestionem, ab iisdem colaturâ *liquor* separetur, quo interim pretioso & fragrante liquore asservato, accipe *residuos à destillatione & extractione cortices*, eosque *s. q. aquæ simplicis* affusâ parumper coque, decoctum cola, clarifica, & cum
Sacchari albissimi libra unâ,
Ad consistentiam Tabulati denuò percoque, cui tandem adde.
Superioris asservati fragrantis & pretiosi liquoris uncias septem vel octo circiter,
Ac solâ *Sacchari* dissolutione confice Syrupum præstantem.

Nota: Quòd si fœminis destinaretur hic Syrupus, odorata, quæ illas afficere solent, omittenda sunt. Item, si gratiæ saporis quispiam plus studeret, quàm virtuti ac residuorum corticum a destillatione & digestione decoctum ob amaritudinem parvi penderet, illi ex solo destillato & essentificato liquore præstantissimum perindè conficere licet Syrupum, & cordi roborando efficacissimum, & palato gratissimum, cujus si unciam semis, vel unciam unam mensuræ integræ vini, aut cuivis alii liquori sive aquæ commiscueris, odore citreo illam uberrimè imbues, sanisque & infirmis ob gratiam summam & efficaciam conducibilem parabis.

Cautela de succo Granatorum.

In præparatione Syrupi Granatorum Pharmacopœos admonitos volo, ne *vinum*, vel potius *succum Granatorum* ab obvio quoque Mercatore coëmant, nevè ex Italia transportari curent, utplurimùm nauseabundum, ingratum, aut nescio quâ

quâ ſpurcitie inquinatum, quod ferè ex omnis generis ſitu & putredine corruptis *malis Punicis* expreſſus ſit: Sed potiùs ipſimet ex *recentibus Granatis* illum exprimant, atque exindè Syrupum amabilem conficiant.

Syrupum de Hyſſopo in Animadverſionibus noſtris meritò rejecimus, alium autem obiter inſinuavimus, qui talis eſſe poteſt:

Recip. *Succi Hyſſopi depurati libras duas*,
Cui immergantur,
Radic. recent. Apii,
Fœniculi,
Petroſelini ana uncias duas,
Glycyrrhizæ unc. una ſemis,
Herba. recent. Hyſſopi uncias quatuor,
Capillorum Veneris unc. una,

Factâque brevi digeſtione abſtrahatur deſtillando in balneo *libra una ſemis* circiter; *liquori expreſſo* denuò

Hyſſopi recentis uncias ſex

immergantur, ac digeſtione brevi peractâ, *liquor* per colaturam & expreſſionem ſeparetur, interimque aſſervetur: Hinc *reſiduum à deſtillatione & ultima expreſſione* affuſâ ſ. q. *aquæ ſimpl.* coquatur: *Decoctum* poſt *expreſſum* & album. ovorum ſtudiosè clarificatum, cum

Sacchari albi libris duabus,

ad conſiſtentiam tabulati penitùs evaporet, cui demùm junge *liquorum ſuperius aſſervatum*, pondere competente, *libram unam & uncias quatuor circiter*, ac ſolâ diſſolutione *Sacchari* confice Syrupum. Cui reliqua hujus Syrupi ingredientia, juxta antiquam deſcriptionem, tantoperè arrident, is ex iisdem ingredientibus decoctum ex tempore conficere poteſt (omiſſis ſeminibus mucilaginoſis, ſcilic. Malvæ & Cydoniorum) ac cum hoc Syrupo propinare.

Obiter præoſtenſam Syrupi de Mentha majoris Meſuæ præparationem, in Animadverſionibus ejusdem, nunc exactè annectere operæ pretium duxi, quam ſic inſtituas:

Syrupi de Mentha majoris Meſuæ vera præparatio.

Recip. *Succorum Cydoniorum maturorum libras tres*,
Granatorum acido dulcium libr. quatuor ſemis,
vel
Granat. acidorum & dulcium ana libras duas, uncias tres,
Vini deſtillati libram unam, ſcilicet

Quod *à libris tribus vel quatuor vini antiqui deſtillando ſit abſtractum*, & hoc eam ob cauſam, ne *vini partes ſpirituoſiores* in duiturnâ illâ coctione exhalent, *vappa verò inutilis*

nauſeabunda, ventriculum potiùs ſubvertens, quàm roborans, Syrupo admixta remaneat. *In ſuccis his & vino deſtillato dicto* horis x x i i i i. macera

Menthæ recentis odoratæ libram unam ſemis vel libras duas,

Mentham hic exſiccare non eſt opus.

Quæ ipſa etiam non prius ſiccanda eſt: Si rerum enim ſive herbarum odoriferarum & ſulphurearum partes ſubtiliores unicè expetendæ, & conſervandæ levi exſiccatione multùm deperduntur & exhalant, conſequenter & illa nobilis planta per exſiccationem in viribus multum diminuitur: Nec memini, me unquam in peritiſſimis & approbatiſſimis Botanicis legiſſe, plantam hanc ſcatere humiditate ſupervacanea, ventriculum ſuis flatibus turbante. Et eſto, haberet quid ſuperflui, ad aliquorum fortè Authorum mentem, quod levi exſiccatione & calore evaneſceret, id ſpirituoſum utique erit, ſi tam citò poteſt exhalare, aut evaneſcere, id eſt, levi exſiccatione, quâ vix calorem percepit, nonne quæſo id ipſum ſubtile & ſpirituoſum quoque evaneſcet in diuturnâ illâ coctione, ubi novem libræ ad minimum coquendo in auras pelli debent, antequam Syrupi conſiſtentia competens acquiratur? & quidem cum primis, quum ſubtiliora omnia, reliqua craſſiora decocta & ſuccos, velocitate fugæ antevertant, in quem finem igitur ſiccanda ſit prius, judicium eſto penes æquum Lectorem; ſed hæc pro informatione, veluti per parentheſin: Tranſeo ad compoſitionem & præparationem ſuperius inchoatam, itaque *ſuccis ſuperius denominatis* cum *ſupradicta Mentha* immerge & macera etiam

Roſarum rubear. exſiccat. uncias duas,

Si verò *recentes Roſas rubras*, quæ meliores, ſubſtitueris, *uncias quatuor vel quinque earundem* accipias: factâ pòſt digeſtione ſuffic. & immiſſis roſtro Alembici ſi libet

Galliæ moſchat. granis xv. circiter,

abſtrahe deſtillando per Alembicum *libras duas*, præter propter, *prioribus* tamen *uncias quatuor* egreſſis *magis ſpirituoſæ & odoriferæ aquæ* ſeorſim aſſervatis. *Reſiduum* in Alembico à deſtillatione *expreſſum & albumine ovorũ clarificatum*, cum

Sacchari albiſſimi libra una ſemis,

Coque ad conſiſtentiam Syrupi craſſiorem, in vaſe terreo vitreato, cui demum adde adhuc

Sacchari albi uncias ſex, &
Superioris aqua prius egreſſa & aſſervata uncias quatuor,

Ac ſolâ *Sacchari* diſſolutione ſine ebullitione ulteriore confice Syrupum ſtomachalem præſtantiſſimum. *Reliqua abſtracta aqua*

aqua odorifera, quæ aliàs inutiliter coquendo debuiſſet exhalare, poteſt unà cum Syrupo ægrotis propinari: Nam plus de illa in Syrupum cogere inconſultum fore exiſtimo, ob ſuccos plurimos, quos aliàs cum Saccharo ad eorum ſpiſſitudinem exhalare hîc neceſſum eſt: ſi tamen res mei arbitrii eſſet, plus *Sacchari*, ad *libram* circiter, ego adjicerem, foret nihilominus efficaciſſimus Syrupus. Velim proindè, Lector Amice, cuncta, quæ hocce & alibi exarato ſcripto à me deſignata ſunt, illa, inquam, æquo animo perpendas, & attentâ lance trutines, ut mentem meam, quò tendat, penitiùs aſſequaris. Nam unâ exactè perceptâ ſimili præparatione, fores ad plures alias elaborationes tibi paſſas eſſe comperies, ipſusque fatebris, hæc cuncta, à rerum naturalium non prorſus ignaro, ad amuſſim conſiderata eſſe & expenſa.

Tu verò Zoile quisquis es, cui canino dente ſcripta hæc rodere pro titillatione eſt, meliora, ſi Vir es, adde, nec me à tuo metiaris ingenio: Qui ſi meliora addideris, veris laudibus gratoque encomio in te exornando nunquam deero ingratus; ſin minus & calumniis nudis rem aggrediaris, etſi par pari referre non ità foret difficile, ſolo tamen te contemptu, ut Luna canum latratus ſolet, præterire ſat mihi vindictæ fuerit.

Quòd ſubſequentes Syrupos alterantes omnes concernit, eorum errores, & dextræ in Animadverſionibus annexæ præparationes abundè patent, ſecundum quas alias ſimiles & compoſitiones & præparationes, inſtituere quivis in arte peritus poterit. Eſt enim Syrupus, vel in conſiſtentiâ ſuâ, vel in vehiculo aliquo conveniente potiùs dilutus, medicamenti genus ægrotantibus gratum, ac inſuper noſtrâ methodo paratum ſalutare; quum virtutes rerum, præſertim vegetabilium, eo modo dextrè coarctentur, & in compoſito integrè conſerventur. Interim me non movet, ſi qui mediocriter in arte verſati Pharmacopœi, lucri cupidine nimiâ quandoque in transverſa facilè flexibiles, ac inſuper Latini ſermonis ignari, noſtrarum Animadverſionum compoſitiones propter laborem inutilem odioſas, & ob difficultatem præparationum eſſe rejiciendas aut omittendas, protervè ogganniant, etiam inſcitiæ ſuæ excuſationes prætexendo, quò minùs dexteriore & indigitato modo medicamentorum præparationibus nunc inſudare obligati videri debeant: non movet me inquam hoc, dum de peritioribus & magè ſolertibus viris Pharmacopœisque verè mihi conſtet, quòd nec difficultate laboris non ita, ut inexperto apparet, tædioſi deterreantur, nec cujusdam obſtinatè tritâ, licet incruditâ viâ procedere jubentis authoritate, à vero tramite dimoveantur, quin elegantiâ præparationum

Pharmacopœis peritis & ſedulis præparationes

mearum

nostræ nec majore labore nec sumptu constabunt.

mearum allecti, & conscientiâ insuper stimulati, sua medicamenta ad præscriptarum formularum regulas dirigant, & componant, secuturi etiam inposterum sana consilia, nullo dispendio expensarum gratis facto, nec ideò justo lucro privati.

De Præparatio Mellium.

Mella quod spectat, eorum præparationes perindè satis dextrè & artificioſe, in præmissis non lippis perspiciendæ, tonsoribusque & mulieribus palpandæ, sed peritioribus & versatis Pharmacopœis, luculenter traditæ sunt, ut quantum possibile fieri potest, nunc viribus ingredientium, ex quibus parantur, uberrimè imbuta prostare possint. Si quis saltem in arte & re medicâ peritus Mel Menthæ, Mel item Rosatum Citratum intimius ac æquo animo inspicere dignabitur, quâ dexteritate & arte nimirùm virtutes rerum balsamicarum integrè, sinè ulla deperditione virium, in compositis conserventur, aliud non poterit, quàm mihi adstipulari: Inprimis enim *aqua à rebus balsamicis destillatione prolecta*, spirituosarum earum partium prægnans, majoribus adhuc *à floribus, herbis, & corticibus* ipsi immersis, imbuitur viribus: quæ ipsa *aqua spirituosa & essentificata*, *melli* vel *Saccharo* tandem abundè jam tùm etiam partibus terrestrioribus & roborantibus, summè perindè expetendis, imbuto, artificiosè, sine ulteriore coctione, ne quidquam de facultatibus remedii exspiret, adunatur, ita ut Chymicorum ferè more, uti loquuntur, & fixum & volatile, triâ itidem, juxta vulgarem illorum opinionem, principia in unum coarctata prosint, purum ab impuro & fecibus verè separatum sit. Hæc vera, me judice, methodus est, quâ Chymiâ & Galenicâ ars pharmaceutica in fœdus tandem coire & coalescere possint, ut pace restitutâ orbi, & inter Medicos, turpissimo invidiæ monstro depulsô, amicitia cunctis mortalibus prospera, contrahatur. Nec spero fore, ut quispiam vel inter Medicos Chymicos, hasce præparationes rudes, vel inter puros Galenicos, violentas aut nocivas proclamando, eas in dubium vocare præsumat. Utinam igitur non quis loquatur, sed quid verè dicatur, invidi Zoili, depositâ omni invidiâ & odio, unicè considerarent, profectò & hæc, cum universo mortalium generi, ægrotis præcipuè, tùm illis ipsis in emolumentum, laudem & honorem cedere, facilè & meridianâ luce clarius animadverterent.

Oxymella, &c.

Oxymella, Juleb, Mivæ, Rob, &c. ea omnia suis Animadversionibus sufficienter insignita sunt: subit autem mirari, ut verum fatear, quòd, cùm videant, & fateri necessum habeant, antiquis hæc esse multò meliora & efficaciora, paratu etiam non difficilia aut obscurè tradita, nihilominus multi cum millibus potius errare, quàm hæc sequi, honori sibi ducant. Perpendant

pendant quæso accuratiore mentis acumine præditi, quanta sit differentia, inter illorum & nostrorum Julapium Rosarum, Julapium item de vino, Miva Cydoniorum cùm simplici, tùm aromatisata, & sexcenta alia quantaque antiquitùs virtutum vegetàbilium, aliarumque rerum nobilissimarum fuerit facta deperditio, quàm viribus effœta adhuc hæc & similia medicamenta in pharmacopoliis prostent, & contrà, quàm dextrè & accuratè virtutibus suis integrè & cumulatè ex quibus parantur nunc servatis in Medicam orchestram allata sint, modo ac methodo insuper facili & intelligibili, minimè obscurâ, cui quivis in arte instructus firmiter insistere possit. Etenim si quispiam, ingenio vel tantillum acutiore, velit hùc accedere, offendet is meherclè mox in maximos & detestandos errores, in coctione & exhalatione saltem vini veteris, & aquarum odoriferarum & spirituosarum, committi solitos, quos silentio præterire, cùm in nobilissimæ Artis dehonestamentum, tùm in Christianam charitatem peccatum detestandum sit, nequaquam possum. Nunc verò salva ac tecta conservabit cuncta, qui me sequetur, & abjecto Cortice nucleis vescetur. Parcant quæso nonnulli de veritate rei liberè sentienti & loquenti: dent hoc Posteritati, cui satisfacere ac proximo ex corde inservire honesta mens dictat & obligat, id quod velatis & noxio silentio involutis veterum quibusdam erroribus, minimè consequi licebit. Et certè quo lucidiùs & clariùs res summoperè nociva (prout revera est,) demonstratur, palamque redditur, ac ante oculos, velamine detecto ponitur, eò majore animi indignatione illa in posterum vitanda: bonum verò ambabus ulnis amplexandum esse stat sententia. Contrarium autem efficit, qui crambem insulsam in ore toties recoquit, illam tamen tandem, dum nec calida nec frigida est, non evomit. Itaque satius esse arbitratus sum, Deo, Proximo, Posteritati & Veritati satisfacere, quàm cum aliis inanis gloriolæ cupidine sibi adulantibus pseudo-antiquorum famam in detrimentum mortalium generi conservare.

Veritati nudè proferendæ odium non conciliandum, præsertim si suppressa nocumento sit.

ABsolutâ Classe primâ, ad secundam transeo, in quâ statim se se offert Syrupus florum Acaciæ ventilandus, qui licet ad normam Syrupi de Melissa aut Betonicæ simplicis parari possit, uberioris tamen informationis gratiâ, præparationem aliam non minùs elegantem subnecto, quæ talis esto:

Classis secunda.

Recip. *Florum Acaciæ recent. libras duas.*

Syrupus florum Acaciæ.

Eosque conspersos nonnullis unciis sive *aquæ*, sive *vini destillati aut Malvatici*, destilla ad siccitatem ferè usque in Alembico, & si lubet, *aqua prolecta recentibus dennò floribus Acacia*

cia (libra uni & ſemis circiter) reaffundatur, & abſtrahatur, additis *unciis nonnullis*, floribus deſtillandis, *de nucleis fructus Acaciarum contuſis*, quibus odor & fragrantia aquæ, cerebro grata, multum intenditur: *Aquæ huic odoriferæ prolectæ* immergantur porrò:

Florum recent. Acaciæ unc. quinque circiter.

Et factâ digeſtione in Alembico optimè clauſo per diem unum vel alterum, denuoque expreſſione *aqua à floribus* liberetur, quâ aſſervatâ interim fragrantiſſimâ & eſſentificatâ aquâ, accipe porrò

Florum dict. Acaciæ recent. libras duas,

& affuſa *ſ. q. Aquæ ſimplic.* para decoctum forte, quod expreſſum & albumine ovorum opt. defecatum cum

Sacchari albiſſimi libris tribus

coque ad conſiſteniam ferè tabulati. cui poſtremùm adde *aquæ ſuperius aſſervatæ odoriferæ & eſſentificatæ quantum ſuffecerit* pro Syrupi conſiſtentia juſta adipiſcenda, ſicque ſine ulteriore coctione effice Syrupum gratum, ac inſuper viribus præſtantem & Antepilepticum.

In præparatione Syrupi Emetici Angeli Salæ quiſpiam fortè hærere poſſet, proinde eam ſic annecto:

Recip. *Pulv. Vitri Antimonii ſine addit. juxta Animadverſiones noſtras parati, unciam unam*,

Aceti ſimplicis deſtillati uncias viginti,

Stent infuſa ſimul in vitro die unâ vel alterâ, loco calido, ut ferè ferveat acetum, aliquoties tamen infuſionem commovendo, ob vitri ponderoſitatem, quod fundum illicò petit & conglobatur, poſt adde etiam:

Santali rubri raſpati,

Roſarum rubearum ana unciam ſemis,

Croci Auſtriaci. drachm. ſemis,

Zedoariæ,

Sem. Angelicæ ana drachm. unam ſemis,

atque adhuc aliquot horis digere, digeſtione factâ coletur & filtretur *acetum*, *filtrato aceto* viribus *Antimonii* & *reliquarum ſpecierum* imbuto adde

Sacchari albiſſimi uncias viginti.

Et in vaſe terreo vitreato coque ad conſiſtentiam Syrupi, cui pro aromatiſatione odoris & ſaporis gratia

Oleor. Still. Cinamomi ſcrupulum ſemis,

Zedoariæ,

Angelicæ ana gutt. v.

Roſarum ver. guttas vj.

Sacchari puluveriſati uncia uni prius commixta

adde

adde & fiat Syrupus emeticus, juſtæ conſiſtentiæ.

Aceti deſtillati prævalet hîc aceto roſaceo crudo.

Quòdſi, benevole Lector, me fortaſſis expoſcas, ad ponendas rationes, quam ob rem quædam immutaverim, in hac Syrupi præparatione, nimirùm quòd *aceto deſtillatum aceto roſaceo* ſubſtituerim, *ſpeciebus reliquis atque Roſis rubris*, prægreſſâ unius alteriusvé dici digeſtione *aceti* cum *Antimonio* ſolo, demum adjectis; & cur quædam *olea deſtillata Saccharo* (ad inſtar Elæoſacchari) commixta, Syrupo jam perfecto, tandem addiderim, omiſsâ penitùs *Roſarum aqua*, quâ cum *Saccharum* erat coquendum, fortè non inani excuſatione factum meum tibi probaverim. Primò nimirùm loco adfero *acetum Roſarum*, non ſolùm *ex crudo aceto* confectum, verùm etiam *Roſarum eſſentiâ & ſubſtantiâ* ſaturatè jam imbutum, ad extractiones rerum ulteriores præſertim mineralium, *aceto deſtillato*, quod adhuc à re peregrinâ liberum, multò inferius eſſe, quod ipſum aliis in locis fuſiùs monſtratum. Deindè quod alio in loco, ni fallor in Claſſe Decoctorum, allatum eſt, illud menſtruo extrahenti eſſe prius injiciendum (ſi pluralitas ſpecierum extrahendarum aut coquendarum adſit, à quo compoſitum potiores ſuas virtutes mutuare debet, quod & rationi conſonum eſt: Cùm itaque hîc *Antimonii vitrum* ſit baſis hujus Syrupi, ergò id ipſum *extrahenti aceto* committatur ante reliqua, ut uberiores in Syrupum refundat virtutes, non quidem quòd inexpertus rei fortè ſibi imaginari poſſet, malignas, aut nimiùm violentas, ſed nativas, juxtà proportionem, doſis competentis & ſubjecti vires ſumentis: Ideoque *ſpecies reliquas* correctionis causâ addi ſolitas, cùm parum corrigendo, aut vim *Antimonii* infringendo præſtare queant, non ſtatim inter initia, ſed poſtquam *acetum deſtillatum Antimonii viribus* ſaturatè jam dum fuerit imbutum, *infuſioni* adjicere præcepi. Prætereâ *Elaoſaccharum*, *ex oleis deſtill. nonnullorum ingredientium confectum*, Syrupo jam perfecto addendum exiſtimavi, gratiâ ſaporis & odoris, non correctionis; de iiſdem ingredientibus autem nonnulla infuſioni ſuperiori detraxi, ne iiſdem coctioni commiſſis, unà cùm aliis, vis eorum balſamica & volatilis in auras evaneſceret, relicto Syrupo omni eorundem ſapore & odore deſtituto. Demùm *aquam Roſarum*, quâ cum *Saccharum* erat diſſolvendum & ad conſiſtentiam tabularum Manus Chriſti decoquendum, planè omiſi, quum *aceti vel infuſionis* ſatis ſit pro diſſolutione *Sacchari*, imò ab *eo aceto* ſcilic. aliquot uncias adhuc coquendo evaporare neceſſum ſit, antequam Syrupi conſiſtentiam indipiſcatur, ſicque tota conſequenter *Roſarum aqua*, ejusque fragrantia præprimis, coctioni commiſſa, velocitate fugæ reliquias

decocti

decocti vel aceti tanquam ſpirituoſior, anteverteret, quæ igitur in finem addita ſit, judicium eſto penes benevolum Lectorem. *Antimonii vitrum*, quâ ratione legitimè corrigendum ſit, de eo ſuo competente loco agemus.

Syrupus Florum Perſicorum.

Syrupus florum Perſicorum, dextrè & laudabiliter ad normam Syrupi de floribus Acaciæ jam jam paulò ſuperiùs edocti parari poteſt, frequentioribus tamen infuſionibus; ut majores vires laxativas adipiſcatur, confectionem ejus abſolvere non nocet.

Plura in hâc claſſe ſecundâ annotanda non cenſeo, quippe quòd reliqua in Animadverſionibus ſufficienter notata ſint, non prætermiſſis neque transgreſſis, quæ ad fidelem & ſufficientem informationem pertinere videbantur: Legantur saltem, relegantúrque ea ab illis, quorum intereſt, ſincero judicio, nec perfunctoriè, ſepoſito tantiſper affectu maligno, &, quòd excœcat, odio; ſic veritate procul dubio agnitâ, non ibunt ita toti in veterum errores, neque ſubſcribent nudis eorundem opinionibus.

In claſſe tertiâ, quartâ & quintâ pauca annotanda aut ſuperaddenda occurrunt. Author excuſat errorem in Electuario Lenitivo ex Tamarindis commiſſum.

IN claſſe præterea tertiâ, quartâ & quintâ, pauca non adjicienda videntur, niſi ut rogem ignoſci mihi humanè, quòd in Animadverſionibus *Electuarii Lenitivi ex Tamarindis, Menſuram unam Auguſtanam, quatuor libras ponderis medicinalis continere exiſtimârim*, decepto menſurâ Viennenſium, quæ tot libris correſpondet: Alias quod ad rem attinet ipſam, uti nonnulli ſibi imaginantur, erratum non eſt tantoperè, quin potiùs ſic errando majores virtutes Electuario conciliata ſunt; nam *duæ libræ cum unciis ſeptem vini*, vix ac ne vix quidem ſufficient pro extractione virium *trium unciarum foliorum Sennæ*, ut idcircò error hic inpoſterum pro doctrina eſſe poſſit, & ut ſpeciebus extrahendis & decoquendis, catharcticis præſertim, competentem quantitatem menſtrui extrahentis affundant, ſi vires rerum extrahendarum totaliter elicere in votis hebeant. Cæterum, ſi quæ fortè ſint in compoſitionibus harum claſſium, quæ correctione ulteriore indigent, cùm quoad compoſitionem tùm præparationem, illa jam in aliis claſſibus & compoſitionibus correctrice ſpongiâ deterſa ſunt, partim verò ex ſubſequentibus colligi poterunt, idcircò brevitatis ſtudio benevolo Lectori cuncta, ut diligenter perluſtret, commendo, indubius, quod uni deeſt ex aliis ſupplementum haut difficilè inventum iri.

Claſſis ſexta.

IN claſſe præterea ſextâ, ubi de Pilulis ſeu Catapotiis agitur, pauca admodũ annotanda cenſeo; cùm omnes compoſitiones

ſuis

ſuis Animadverſionibus locupletatæ, & ab erroribus, quantum fieri potuit, liberatæ ſint: Addam nihilominus nonnulla, quæ fortè ſcrupulum movenda ſint.

In cæteris occurrit Melichii ſententia in Animadverſionibus pilularum de Agarico & Aggregativis majoribus & minoribus Meſſuæ: Is ſuccos & aquas in conficiendâ maſſâ pilulari planè excludit, Syrupos ſubſtituendo, nullâ additâ ratione ſingulari, aut quare; hinc cùm viderem Syrupos ob craſſam eorum conſiſtentiam eſſe ineptiores ipſis ſuccis aut decoctis vel aquis pro paſtâ pilulari efformandâ, proindè rationibus firmis hanc ſententiam reprobavi; addo in præſens, quòd Syrupi ſpeciebus ſiccioribus permixti, facilè ac brevi valdè totaliter ad duritiem uſque exſiccentur, ob Sacchari naturam, ex quibus Syrupi confecti, atque adeò pilularum maſſæ faciliùs pòſt corrumpuntur, quàm ſi humidæ ac molles nonnihil, uti decet, ut pilulæ exindè efformari poſſint, conſervarentur. Accedit & hoc difficultatis, quòd ſemel exſiccatâ maſsâ pilulari, quæ cum Syrupo in juſtam conſiſtentiam & maſſam redacta eſt primitùs, eam denuò Syrupo aliquo, firmâ perſiſtente hâc Melichii ſententiâ, humectare neceſſum eſſet, ſi vel pilulæ exindè formari, vel maſſæ in juſtâ conſiſtentiâ, uti quidem moris eſt, conſervari deberent, nevé etiam facilè corrumperentur: Cùm autem brevi temporis ſpatio maſſæ pilularum, cum Syrupo aliquo confectæ, juxta Melichii ſententiam duriores & nimis ſiccæ evadant, ut adeò ſæpiùs in anno denuò cum Syrupo aliquo veluti in ſuccari, & ad juſtam pilularum conſiſtentiam redigi debeant, prôh in quantum excreſcent pilularum maſſæ uno anno, tempore præſertim æſtivo? Nam Syrupi pro maximâ eorum parte Saccharum ſunt, virtutibus licet ingredientium ſpecierum imbuti, quod non nego; nihilominus ut in forma pilulari Syrupi propinentur, id equidem veræ rationi conforme non videtur. Perſiſto itaque in conceptâ ſententiâ, aſſerens, *decocta ſuccos inſpiſſatos & crudos, aquas item ſtillatitias, pro pilulis ſive earum maſſis efformandis, Syrupis eſſe præferenda; Mel verò quod & Melichius admittit, quamvis in craſſitie & conſiſtentiâ Syrupis par ſit, illis tamen pro ſpeciebus etiam quibuscunque in maſſam pilularem cogendam, maximè præferendum:* Etenim hoc utilitatis à Melle præ Syrupis conſequimur, quod ſive pilulæ, ſive earum maſſæ, beneficio mellis cujuſdam in formam & conſiſtentiam earundem redactæ, ob unctuoſitatem mellis nativam difficilè exſiccentur, aut aridæ fiant, ſed diu multùmque cùm hyberno tùm activo tempore humidæ nonnihil, uti decet, maneant, neque ſitum contrahant, quòd alias maſſis pilularum,

quæ solâ aquâ aut succis quibusdam non inspissatis in corpus vel consistentiam aut massam earundem coarctantur, ut plurimum contingit, præsertim si Aloë, vel planè non, vel diminutè nimis addatur: Namque Aloë, tanquam succus inspissatus concretusque, non saltem se ipsam, sed & alias species à situ & corruptione præservare potis est. Similiter plurimi alii succi inspissati eâdem cum Melle & Aloë substantiâ unctuosa & durabili, ad multos annos præditi, non ineptè ad pastas pilularum efformandas adaptantur, quùm per se nonnulli ori, uti Aloës ob saporem amarum, sint ingrati, viribus autem eximiis polleant, ita ut non paucæ virtutes pilularum massis illis ipsis succis inspissatis imprimi possint. Deficientibus autem succis recentibus inspissatis tempore hyberno, extracta aut decocta herbarum, (non autem sulphurearum aut odoriferarum) ad succorum inspissatorum vel mellis consistentiam abstracta, eorum, scilicet succorum vices supplere possunt, sed eo modo, quò in prioribus Animadversionibus innui, ut Aloë nempè sive succô crudô non inspissatô, sive decoctô, aut aquâ aliquâ appropriatâ nonnihil prius diluatur, quò exactius reliquæ species siccę, extracta item & succi inspissati illi, scilicet Aloë, commisceri, atque sic invicem cuncta mutuò sese complecti possint: Exemplo sit subsequens formula massæ pilularum quæ talis:

PILULÆ HYDRAGOGÆ.

Pilulæ Hydragogæ.

Recip. *Succ. inspissat: Absinthij,*
Agrimoniæ,
Ireos nostrat.
Extr. seu decoct. inspissat. Radic. Hermodact.
Ebuli,
Cort. median. Samb. nucis,
Centaurij minoris ana unc. semis,
Elaterij seu succi inspissati Cucum. asinini drach. unam semis,
Aloës opt. pellucid. uncias tres,

Diluatur priùs *Aloë* nonnihil cum *decocto Centaurii minoris non inspissato*, cui jungantur *succi inspissati, extracta aut decocta superiùs denominata*, & leni calore ignis non Solis (plùs enim Solis, quàm ignis calore Vegetabilibus à sua stirpe vel radice evulsis de viribus detrahitur) ad debitam consistentiam abstrahantur, addendo (si lubet) *de pulveris seu olei destillatibus*, quæ congrua videntur; utpotè pilulis hisce hydragogis, ante totalem autem earum exsiccationem

Pulv. Masticis,
Myrrhæ,

Succini

Succini albi ana drachm. tres,
Magisterii Galappæ amygd. subacti drach.
unam semis.

Et postquam competentem consistentiam jam nacta est massa, nec amplius in calore detinenda, superadde

Ol. Still. Cinamomi,
Calami aromat.
Caryophillorum ana drach. semis,

Misceantur omnia exactè, fiatque massa justæ consistentiæ, Dosis scrupulus semis ad scrupulum unum & drach. semis.

Hæc sit formula, qualiter ex diversis rebus, in unum effectum tamen conspirantibus, pilularum compositiones & præparationes instituendæ, quamvis si mihi daretur optio, ex paucioribus, duobus scilic. vel tribus saltem ingredientibus medicamenta composita absolverem.

In præparationibus nostris dexterrimis Pilularum Aloëphanginarum non mirare, Lector amice, quòd *exiguam quantitatem vini albi* (respectu specierum) *speciebus aromaticis* affundere, & binis vicibus ab iisdem abstrahere præceperim: Scio equidem, quòd *pauculæ illæ unciæ vini* vix sufficiant, ut *species* illo humectentur: è contra verò etiam me non latet, tantum humiditatis à dictis speciebus aromaticis destillando abstrahi posse, quantum affusum est, præsertim si ignem paulò fortiorem adhibueris, aut igne aperto, si mavis per retortam lutatam, destillationem peregeris, sine combustione tamen specierum, ne Empyreuma contrahat abstractus liquor, retortâ nimirùm in altum satis collocatâ, igne præterea ritè adhibito, quem modum destillandi luculenter proposui in Animadversionibus aquarum destillandarum in genere: proindè cùm mihi *pauculæ illæ unciæ vini à speciebus destillati vel abstracti*, sufficere viderentur ad *Aloën & species reliquas* in massam efformandam, ac insuper experientiâ edoctus adverterem, *aquam abstractam hanc*, omnem odorem & fragrantiam, consequenter etiam virtutes sulphureas & volatiles *dictarum specierum aromaticarum* continere, superfluum duxi, plùs, quàm quod necessum foret, *liquoris vel vini* iisdem *speciebus* affundere, ne quidquam de virtutibus specierum deperditum iret, aut pilulis non imprimi posset. Cæterùm dexteriorem præparationem harum pilularum Aloëphang. excogitare vix poterimus. Si quis autem loco *vini speciebus aromaticis* affundendi, *vinum jam tùm destillatum*, aut *aquam aliquam* substituere voluerit, per me licet, ego non sine prægnante ratione *vinum* cæteris *liquoribus* hîc præferendum omninò existimo. Prætereà breviter monui in Animadversionibus

 præmissis

Calorig Sol ejusq; radii vegetabilibus, à radice sua evulsis, multùm detrahunt.

præmissis harum pilularum, illas, scil. pilulas, mense Majo, Junio, & Julio insolando perficiendas, aut in Sole exsiccandas, perperàm & inconsideratè præcipi; ratio est, quòd calore Solis, vel radiis ejusdem, vegetabilibus cunctis, præsertim, si à Sole immediatè attingantur, non minimum detrahatur; quod luculenter apparet in colòribus florum & herbarum, si ad altiora investiganda mentem elevare nolimus: Quis enim Pharmacopœorum adeò ignarus est, qui experientiâ non observârit, Rosas rubras, Violas purpureas, herbas & plantas viriditate summâ ornatas, radiis solaribus expositas, coloribus suis nativis maximâ ex parte, ac etiam fragrantiâ spoliari? contrarium verò evenire, si leni calore ignis eorundem exsiccatio instituatur, atque ita coloribus suis nativis, salvâ insuper majore fragrantiâ, ad longum tempus asservari? Circulatio universi, generationes scil. & corruptiones, beneficio Solis, ignis nimirùm elementaris & universi peraguntur; his enim detrahit, in altum revocaturus quæ anteà tribuit; illis vigorem addit, excitaturus scintillam caloris nativi, cujus beneficio attractrice facultate cuncta pollent. Exhalationes igitur omnes, elevationes potius dixeris à Sole: Calor ignis repellit, sursum elevant radii solares, eæ igitur & plures aliæ Solis & ignis discrepantes operationes qui observare noluerit, proculdubio mente captus est, & à verâ Philosophiâ alienus toto errat cœlo. Proindè pauculis his præmissis, Pharmacopœos monitos volo, ne exsiccationes vegetabilium Solis calore, præsertim si radiis ejus immediatè tangantur, peragant; nam præterquam quod Solis calor Vegetabilibus à suâ radice evulsis nec quicquam communicare possit, ea insuper suis virtutibus balsamicis subtilioribus penitùs spoliare aptus natus est, experientiâ quotidianâ teste: Etenim non solùm Vegetabilia à matrice sua evulsa, tanquam volatiliora, verùm etiam mineralia etsi fixiora, Sol suis privat partibus tenuioribus, quæ aliàs magno imperu ignis ab iisdem segregari debent.

Circulatio universi beneficio Solis peragitur.

Exhalationes terræ & aquarum potius elevationes sunt à Sole.

Vegetabilia in Sole non sunt exsiccanda.

Non dubito autem, quin plurimi his meis assertionibus contradicturi sint, rationibus ducti à rebus quoque mineralibus, quorum nonnulla vi ignis in terram mortuam veluti redacta, aëri vero & radiis Solaribus expositа denuò quasi reviviscunt, & quibus jam dudum spoliata fuêre, iisdem paulò post uberrimè impræg nantur virtutibus. Verùm enim verò hæ & plures aliæ opiniores à mea sententia, experientiâ firmatâ, me abducere neutiquam possunt, & si dixero, omne siccum suum attrahere & appetere humidum: Matrices mineralium non penitùs orbari vi ignis seminali suâ virtute multiplicativâ: Terram eructare vi calore Solis attrahentis spiritus quo-

Terra mortua quandoque revivisunt.

que

que minerales, qui ab aſtris denuò deprimuntur, aut proprio motu, calore Solis vel ejuſdem radiis elevatoriis amotis, tempore nocturno, deorſum tendunt: Eſſe circulationem univerſi, ut quæ interdiu vigore Solis elevantur, mox Sole vel ejusdem radiis deſtituta aut privata, aſtrorum influxu deprimantur, vel etiam proprio motu tanquam gravia deorſum tendant, recreentque ſitibunda veluti à Sole exhauſta corpora, ſic omnibus objectionibus ſatisfecero. Plura de Sole quidem, ejuſque calore & virtute mirabili, naturali tamen agente, animus concepit, quod nimirùm mundum hunc noſtrum, globum terreſtrem, utpotè rotundum, reliquas etiam ſtellas, corpora nimirum itidem gravia, nullibi affixa aut ſuffulta, Sol, maximus ignis globus & centrum univerſi (ad mentem Doctiſſimi Mathematici Copernici,) in ſuſpenſo detineat, inque gyrum rotet, ad inſtar ignis naturalis, qui & levia & ſat gravia, habita proportione ſubſtantiæ ac magnitudinis agentis & patientis, in ſuſpenſo quoque detinet, aut ſurſum pellit, inque gyrum rotat: Verùm cum hæc à ſcopo noſtro declinare & quibusdam paradoxa videri poſſint, quum tamen vera hæc dictitet ratio, & quotidianâ experientiâ in magnis incendiis, pulvere pyrio, luculenter demonſtrari, ac inſuper bombardarum machinis comprobari poſſit, paucis tantùm quæſitum hoc, à nemine adhuc ventilatum aut tactum, ſed ſimpliciter Motori primo, Divinæque voluntati adſcriptum, ejusq; juſſui, phyſicè movere, & tanquã Theſin Mathematicis accuratiùs diſpiciendam, proponere operæ pretium duxi, tranſiturus ad alia. *Paradoxa de Sole.*

In Pilulis de Ammoniaco Quercetani hoc præterea animadverto, quòd *ſalia quædam* illis admiſceantur, quæ maſſis pilularum, non quoad virtutes, ſed quoad conſiſtentiam, ſi *ſalia legitimè parata ſint*, non *ſulphure aut ſpiritu quodam acido* adulterata, contrariantur, ut humidæ ferè ſemper digitis adhærentes pilulæ maneant, toties licet ad ſiccitatem abſtractæ, *ob liquabilitatem dictorum ſalium*, & vim attractivam: poteſt tamen, ſi neceſſariò *ſalia* ſint addenda, incommodum hoc *pulvere aliquo exſiccante*, utpotè *Cinamomi, Roſarum, rub. aut alio, quò conſpergi pilulæ ſolent*, (quæ tamen non diu aſſervandæ, ſed protinus exhibendæ ſunt) nonnihil præcaveri, eas tamen *auri foliis* obducere neceſſe non eſt, nec conſultum, ſat erit illas pulveribus dictis conſperſas mox in uſum trahere. *Pilulæ de Ammoniaco Quercetani obſalia admixta ventilantur.*

Maſſæ quædam pilularum, utpote de Colocynthide & aliæ, quæ *diverſa gummata* recipiunt, majori dexteritate parandæ ſunt, quùm *diverſa gummata, diverſos* exoptent *liquores* pro illorum diſſolutione, nec *uno eodemque liquore aut ſucco, porrà*

ſcilicet, diſſolvi poſſint: Exemplo ſit *Gummi Sagapenum & Bdellium*, illud *reſinoſam* habet ſubſtantiam, hoc verò *aquoſam & viſcoſam* ad inſtar *gummi Arabici*, hinc illud potiùs *oleaginoſa ſubſtantiâ*, *ſpiritu item vini*, vel etiam *Terebinthinâ*, hoc verò *aquoſâ*, id eſt, *ſucco quodam* aut *aquâ* ſolvi poteſt; verùm cum *olea* aut *Terebinthina* ipſa, pro pilulis efformandis ſint minus idonea, idcircò *vinum* aut *acetum ſtillatum* pro *ſimilium gummatum reſinoſorum* dilutione, vel impropriâ diſſolutione, adhibere poſſumus.

Crocus autem, qui plurimas pilulas ingreditur, ſigillatim nonnihil diluendus eſt, vel cum *vino* vel *ſucco aliquo*, quô cum pilulæ vel earum maſſæ aliàs in paſtam rediguntur, ut eò meliùs cuncta ſe invicem complectantur.

Pilulæ de Tartaro Quercetani ventilantur.

Pilulæ de Tartaro Quercetani ad mentem noſtram correctæ & paratæ, ſuis egregiis certè conſtabunt viribus, & exemplo eſſe poſſunt, juxta quod plurimæ ſimiles compoſitiones vel præparationes inſtitui queant: Etenim *ſpecies earum omnes*, tùm alterantes tùm confortantes *ſ. q. aquæ affusâ* priùs legitimè extrahuntur: *Aromatum deindè & Styracis Calamitæ* vires, additâ *particulâ vini*, deſtillando evocantur, cum quâ *humiditate ſpirituoſâ & eſſentia aromatum imbutâ*, *reliquæ ſpecies*, utpotè *Aloë a ſuperioribus decoctis omnibus & aromatibus* jam dum *inſuccata*, nec non *Myrrhâ diluta*, & quæ ſequuntur, legitimè in maſſam, omnibus apprimè ſervatis & collectis viribus, coarctantur, ut nil quicquam de iis perditum eat. Si quis verò *aromata* cum *Styrace*, nec deſtillationi nec decoctioni committere, ſed potiùs, (omiſſo extracto eorundem exiguæ virtutis, quod aliàs pilulis per decoctum eorum etiam communicaretur) *olea eorundem deſtillata* jam confectæ maſſæ in competente quantitate addere voluerit, is, me judice, pilulas efficiet efficaciores, præſertim ſi loco *Styracis*, non *oleum ejus ſtillatum*, ſed ſaltem *reſinam ejusdem* paratu facillimam, uti eam in Animadverſionibus Theriacæ edocuimus, ſubſtituerit. Quæ ipſa autem *reſina*, quò exactiùs maſſæ uniretur, & cuncta alia ſe invicem ad minima tangerent & complecterentur, ventriculo inſuper ingeſtæ aut deglutitæ hæ pilulæ faciliùs diſſolverentur, poſſet cum *oleis reliquorum aromatum deſtillatis*, utpotè *Cinamomi*, *Maceris & Garyophyllorum*, nonnihil diſſolvi, hâc quantitate ſervatâ nimirùm, ut *reſinæ Styracis drachmæ ſex*, *ol. ſtill. Macis & Garyophyllorum ana drachm. unæ*, *Cinamomi drachma ſemis*, *plus minusvè prout libuerit*, accipiantur, Perpende Lector, quàm artificiosè res invicem jungi queant, ſi ducem rectam rationem ſequamur, obſervando & conſiderando inſuper, non quodlibet ex quo-

ex quolibet fieri, nec quodlibet pati à quolibet, sed determinatum determinato homogeneo dextrè commiscèri, prout in Animadversionibus præmissis, earumque Præfatione innui.

ET hæc de legitimâ pilularum præparatione super addita sufficiant, transeundem nunc ad classem septimam; In quâ plurima notatu digna occurrunt ventilanda. Quorum proindè interest, ii cuncta quæ allata sunt in Animadversionibus, & jam jam addentur, æquâ lance perpendant & attentè perlegant, antequam sinistrum ferant judicium. Nam non ita scripsi, ut illa quilibet lippus & tonsor etiam lynceis mox oculis perspecturus sit, aut quælibet mulierculæ illicò imitari possint, sed doctis & in arte peritis. Adeoque imprudenter & perperàm à quibusdam in jus vocor, quasi cuncta arcana pharmaceutica, illis Pharmacopœis jam dum nota, ita propalaverim, ut vel quævis anus illa nunc nôrit concinnare & præparare. Etenim quòd mei Censores advertere vellem, tantùm abest, ut vulgùs aut quælibet fœmina illa elaborare sciant, quin potiùs hæ ipsæ præparationes, juxta verissimas pharmaceuticæ genuinæ methodi regulas (à nemine tamen unquam animadversas aut luculenter scriptis comprehensas) & fundamentalem doctrinam hîc traditam institutæ, solertem & peritum, non minùs doctum efflagitent Pharmacopœum, eumque à vulgari carbonario distinguant, ipsiusque Artis nobilissimæ dignitatem & præstantiam à culinariis servitiis eximiè vendicent, inque pristini honoris gradum integrè restituant. Proindè repercussio & hoc telo, vanâ irâ in me vibrato, non parcam ulterius operæ meæ, quin potiùs plurima notatu digna & necessaria superaddã, præsertim in hac classe de extractis, cui non pauca, ad majorem & plenariam informationem pertinentia, adstruenda duxi. Præprimis *resinosa extracta* sese sistunt ventilanda, eaque nimirùm, quæ vel ex mera resina constant, utpotè *extractum Agallochi, Euphorbii, Galbani, Gummi Gamandræ, Guajaci, Mechoacæ albæ & nigræ, Myrrhæ, Opopanacis, Sagapeni, Scammonii, Turbith.* vel saltem ex parte resinosa sunt, uti *extracta ferè cuncta compositæ*, paucis exceptis, *Diapæoniâs* nimirùm & *Laudanum opiatum*. Porrò *resinosa extracta* vel saltem pro maximâ eorum parte, ex *rebus resinosis* constantia, distinguenda sunt; quædam enim eorum ex *rebus odoratis balsamicis*, quædam verò ex *inodoris*, conficiuntur: Ex odoratis balsamicis (ùt plurimùm Cephalicis & Hystericis) sunt, *Agallochi*, seu *ligni Aloës, Myrrhæ, Opopanacis, Sagapeni, Galbani, &c.* disquisitione igitur dignum occurrit, utrum hæc extracta sine virium suarum jacturâ, ita ut nil de essentia & virtute rei extrahendæ

Classis septima de Extractis perlustratur.

Resinosa extracta examinantur.

Extractorum differentia.

perditum eamus, parare liceat, quum rerum balsamicarum essentiæ in tenuibus & subtilioribus consistant partibus, quæ leni etiam calore ignis pulsæ, æthera petunt, relictâ terreâ mole, spiritu balsamico viduatâ, Verùm quantumcunque rem consideratè etiam perlustro, vix tamen modum, qui voto meo ex omnibus satisfaciat, invenio. Quâcunque enim arte opus aggrediamur, vix ac ne vix quidem cuncta conservabimus salva, si debitam extracti consistentiam spissam indipisci propositum est, siquidem menstrua solventia vel extrahentia nullâ aliâ viâ, nisi destillando & abstractione à re extractâ separari queunt, quâ tamen simul & unà partes subtiliores ejusdem rei extractæ evehuntur & abeunt. Nihilominus habitâ distinctione rerum extrahendarum, proponam duos modos non inelegantes, quibus votum doctrinæ cupidi sufficienter ut expleatur spero. Primus igitur modus talis esto: Nimirum ut *ex re extrahendâ resinosâ & odorifera balsamicâ, oleum*, si ejus quidpiam alias *rei* insit, destillando proliciatur, verbi gratia: accipe

Extractorum resinosorum & balsamicorum dexterrima praeparatio.

Ligni Aloës gummosi, vel
Gummatis cujusdam libram unam,

à quo destillando, sive per se, nullâ additâ *aquâ*, sed saltem *particulâ vini spiritus rei aspersa*, ex retortâ vitreâ in segmentis humidis M. B. locatâ, vel etiam igne aperto, si ignem debitum admovere scias, sine combustione; sive etiam *affusa s. q. aquæ simplicis*, proliciatur una cum aquâ *oleum essentiale*, aquæ supernatans; quô interim servato, extrahatur cum *spiritu vini* repetitis vicibus affuso *residuum à destillatione*, ad totalem virtutum terrestriorum prolectionem. *Essentiæ vel extractiones omnes junctim filtratæ* ad consistentiam competentem extracti vel resinæ in M. B. leniter destillando abstrahantur, *resinæ* demùm *in fundo Alembici relictæ* jungatur suum destillatione prolectû & *proprium oleum essentiale*, sive per se, sive *Saccharo* prius ad instar *Elæosacchari* commixtum, & usui reponatur extractû, viribus è quibus confectum cum terrestrioribus roborantibus, tùm subtilioribus recreantibus; uberrimè imbutum.

Portio olearum stillat: essentialiũ aquis cum quibus destillantur inseparabiliter permiscetur & adhæret.

Notandum tamen, cùm *aquæ* in destillatione *olei essentialis*, uti suprà, prolectæ, non parùm *olei subtilioris*, inseperabiliter ferè adhærere soleat, è re meliùsque esse omninò, ut sine affusione *aquæ*, *similes res* in retortâ vitreâ, additâ saltem particulâ *spiritus vini* pro humectatione earum, destillationi committantur: Vel, si *olea similia destillata essentialia* aliàs in Pharmacopoliis non adulterata prostant, præstat, ut ejusdem *olei anteà stillati* competens portio, *extracto* proprio ad majorem virtutum impressionem superadjiciatur.

Alter

Alter modus, qui instar essentiæ liquidæ, & usui medico perindè non ineptus est, subsequens esto:

Essentiæ resinosarum rerum, quâ ratione paranda.

Recip. *Ligni Aloës opt. gummosi uncias tres,*
Cui minutim conciso superaffunde,
Spiritûs vini rectificati uncias sex vel octo,
vel si mavis *spiritum Rosarum*, aut *Cerasorum*, vel etiam *spiritum Liliorum, convallium* substituas, & in Alembico juncturis undique & diligenter luto clausis, igne arenæ totus proliciatur spiritus, odore & sapore præstans, ad siccitatem ligni: Quò interim *spiritu scil. fragrante* studiosè asservato, extrahatur repetitis affusionibus *spiritûs vini recentis, relictum à destillatione lignum*, ad totalem resinosæ substantiæ prolectionem; hinc in M. B. *extractionum omnium spiritus* destillando denuò provocetur, quousque resina sive extractum resinosum spissum in fundo Alembici appareat, tùm *resina vel extractum* in fundo Alembici relictum, *spiritus fragrante superiùs asservato* prævià digestione solutum & filtratum, usui reponatur, tanquam essentia legitimè confecta & præstans; quæ tamen *essentia*, quod admonitione dignum, & scitu necessarium est, non *aqueis vehiculis* commiscenda est, dum ægrotantibus est propinanda, sed *spiritibus utcunque ardentibus*, aut *aquis spirituosis Apoplecticis, Epilepticis, Hystericis, Elix. vitæ Matthioli* & similibus; vel etiam *Syrupo crassiori* admixta legitimè & debitè exhibebitur: sin verò minùs hoc fiat, & *essentia talis aqueis vehiculis puris* commisceatur, tota ejus resina ab aquea humiditate præcipitata, usui medico, cùm in exhibitione, tum operatione planè inepta redditur. Hæc ipsa cautela in exhibitione spissi & resinosi extracti perindè cum primis observanda, ne Medicus Pharmacopœum, tanquam malè præparati medicamenti arguat, nec æger inutilis remedii repetita sumptione torqueatur; & ne uterque spe suâ in operatione decidant, & frustrentur.

Extracta resinosa aqueis vehiculis non commiscenda.

Quod reliqua *extracta* spectat *resinosa*, *ex rebus non sulphureis aut odoriferis* parata, quædam eorum totaliter exsiccata in pulverem rediguntur, utpotè *Scammonii, Galappæ, Gummi gutta:* quædam verò siccitatem totalem, ut in pulverem permanentem commodè redigi queant, haut nanciscuntur, nimirum *Mechoacæ albæ, Turbith, Agarici, Ligni sancti, &c. Illa* luculenter satis & dextrè edocta sunt alibi in animadversionibus Mantissæ, sub titulo Magisterii Galappæ: *Hæc* verò quâ ratione dextrè paranda, ne usui repugnent Medico, hunc sequere modum:

Extracta resinosa omnia siccitatem totalem haut nanciscuntur.

Recip. *Radic. Mechoacæ albæ vel*
Ligni sancti gummosi uncias sex,

Conciſæ immittantur Cucurbitæ vitreæ, quibus ſuper affundatur

Spiritûs vini rectificati q. ſ. ad ſupereminentiam quatuor digitorum transverſorum.

Stent in digeſtione unâ atque alterâ die in loco calido, *ſpiritus tinctus* deindè per filtrum ſeparetur, *alíusque* ſuper affundatur, ac factâ digeſtione & extractione perindè colaturâ ſegregetur, hocque toties repetendum novâ *ſpiritus vini* affuſione, donec eſſentia omnis extracta ſit: *Colaturæ pòſt omnes* filtratæ & Alembico vitreo immiſſæ, leni balnei calore deſtillando ad *libram unam* circiter abſtrahantur, *reſiduo in Alembico liquori* innatabit *reſina*, quæ à liquore ſtudiosè ſeparanda, & in ſcutella igne arenæ moderato totaliter exſiccanda, ut in pulverem redigi queat; *reſiduus verò liquor* à quo reſina ſepàrata eſt, ulterius ad extracti ſpiſſitudinem exhalet, cui *reſina* ſubtiliter pulveriſata, & *amygdalis dulcibus* (quod benè obſervandum) ſubacta, *pulveris* nec non *Sacchari particula* additâ optimè commiſceatur: ſin minus autem *reſina*, prout ſæpè contingit, totaliter exſiccari & pulveriſari queat, ſolvatur *illa* denuò, dum liquida adhuc eſt, portiunculâ *rectificatiſſimi ſpiritus vini*, & extracto reſiduo ſpiſſo adunetur ſuper igne leniſſimo, cum ſpiritus vini promptiſſimè exhalabilis auras petat, addaturque perindè extracto ſic perfectè parato, *particula Sacchari pulveriſati*, quò facilius poſt, ſi non in *aqueo planè vehiculo*, ſaltem in *Syrupo* vel *Melle*, aut etiam in *ſpiritu vini* illud diſſolutum ægrotantibus commodè propinari & exhiberi poſſit. Namque niſi legitimè & debitè ſimilia extracta ſolvantur, ne *reſinæ ab aqueo liquore* præcipitentur, exiguum effectum ab illis nobis promittere poſſumus, cum reſinæ, ut alibi etiam admonui, in ſuâ reſinoſâ ſubſtantiâ hominibus exhibitæ, parùm vel nihil operentur, imò ventriculo & inteſtinis aliquando ſeſe agglutinantes firmiter, varia incommoda, dolores colicos acerbiſſimos, & fluxus alvi immoderatos, ſyntheticos, ſi reſinæ purgantes fuerint, Galappæ vel Scammoneæ, inducere ſolent: Medicus proindè, qui ſimilia extracta reſinoſa præſcripturus eſt, ſi effectum felicem ab illis expectare velit, cùm ad præparationem, tùm exhibitionem aut diſſolutionem illorum legitimam, attentos habeat oculos; ſecùs parùm laudis & emolumenti indè conſequetur. Extracta reliqua compoſita, utpotè Diacarthami, Cholalogi & quæ Scammonium, Turbith aut Mechoacannam inter reliqua ingredientia admittunt, juxtà modum jam jam præſcriptum, aut ſecundùm Animadverſiones Extracti Diacitri legitimè & dextrè parari poſſunt. Plura

Extracta reſinoſa qua ratione legitimè exhibenda.

Extracta compoſita.

quæ

quæ ad legitimam extractorum præparationem pertinent, fideliter in singulorum extractorum Animadversionibus annotata sunt, proindè studiosè observentur; quæ ratione *Specierum Diambræ*, aliarumque rerum planè inutilium compositionibus intermixtarum, admonui; nec non, quæ in Animadversionibus extracti Marocostini recensui incongrua, & quàm dextrè illud parare edocuerim, quibus benè observatis, habebimus posthac verè regia medicamenta efficacissima, in quibus & Medicus & Patiens fiduciam suam firmiter collocare possit, spe suâ haut frustratus.

Ad classem octavam de decoctis.

DEcocta in classe sequente octavâ, ab erroribus apprimè liberata sunt, proindè eorum Animadversiones, cùm particulares, cuilibet scilicet compositioni decoctorum affixas, tùm universales, utpotè quæ generaliter de omnibus decoctionibus loquuntur, diligenter attendendas censeo, nec non observatis aliarum compositionum animadversionibus, quæ majorem rerum agendarum & naturalium dilucidationem afferre possunt: Etenim cuncta attentè & diligenter cum judicio perlecta, quæ sparsim in præmissis & hâc ipsâ appendice tradita sunt, votum cupidi discentis in omnibus sufficienter explebunt, ita ut nihil desit, quod ad veram & legitimam medicamentorum compositionem & præparationem pertinet, à nemine unquam tàm luculenter & sincerè posteritati communicatum.

Ad classem nonam de pulveribus.

HInc ad alia transeo, classem nonam de pulveribus tractantem, quæ & ipsa brevioribus Animadversionibus generaliter perlustrata est, cùm supervacaneum esse existimâtim, entia citra necessitatem multiplicare, ac scripta scribere: si quis verò clariorem de dextra pulverum præparatione informationem anhelaret, is adeat Dispensatorium nostrum novum, ibidem de speciali cujuscunque pulveris compositione & præparatione sufficientem capiet informationem, quæ hâc in classe de pulveribus mutatis mutandis ingredientibus, aptè inferri non potuit.

Ad classem decimam Ecclegmatum & Lohoch.

QUocirca porrò me confero ad Lohoch classis decimæ, quorum animadversiones, licet veras eorum præparationes, edoceant; lubet tamen nonnulla superaddere, quæ majorem informationem & exactiorem Lohoch parandi modum palàm faciant. Parentur itaque Diacodia Joannis Baptistæ Montani & Galeni tali modo, utpotè

DIA-

DIACODION JOANNIS BAPTISTÆ MONTANI.

Recip. *Capitum papaveris albi sine seminibus, Num. xx.*
Siliquarum dulcium uncias tres,
Glycyrrhizæ rasæ uncias duas,

Omnia concisa coquantur in *libris circiter octo aquæ fontanæ*, ad medias, *decoctum expressum & albumine ovorum clarificatum ad libram unam* evaporare permitte, in vase terreo (nam si quæ diu concoqui debent, in æneis vasis aut instrumentis coctiones non perficiantur, propter rubiginem pectori summè nocivam, quam & accida & dulcia in æneis instrumentis diu retenta & cocta, contrahere possunt,) quòd serva: Jam accipe etiam

Semen Papav. albi uncias tres circiter,

vel quantum viginti capita papaveris grandiora inclusum habebant, quod in mortario lapideo, si fieri possit, contunde, affusâ, uti moris est, successivè *portiunculæ superioris decocti* ad pultis minutissimæ formam, quam per setaceum, prout in præparationibus pulparum moris est, cum *decocto superiore* transmitte & coge, ut fiat emulsio crassa albicans, cremoris lactis ad instar, huic tandem adde

Sacchari albissimi libram unam semis,

Et solâ dissolutione *Sacchari* igne leniissimo sine ebullitione confice Diacodion, oculis & ori gratum ac efficax.

DIACODION GALENI SIMPLEX.

Recip. *Capitum Papav. albi recent. Num. xx.*

Quæ seminibus priùs exinanita & concisa, coquantur in s. q. *aquæ simplicis* ad remanentiam *duarum* circiter *librarum: Decocti colati & alb. ovorum clarificati libra una semis*, cum

Mellis puri ssimi despumati libris duabus,

coquantur ad pristinam mellis consistentiam, vel paulò crassiorem, *dimidiâ libra decocti* servatâ, quâ cum

Semina Papav. albi recentia è capitibus suis superius excepta,

in mortario optimè in pulpam subtilem & liquidiorem contunde, & per setaceũ cogendo trajice, quam superiori melli Papaverino commisce, sicque dextrè paratum Diacodion asserva.

Nota: si cuipiam magis arrideat idem Diacadion cum Saccharo conficere, is instituat ejus præparationem ad normam superioris Diacodii Joannis Baptist. Montani.

DIA-

DIACODION EX SAPA VINI

fiat modo sequenti, nimirum

Ex *capitibus Papaveris, suo semine spoliatis*, paretur *decoctum ad libras duas* circiter, in cujus *decocti libra una semis* solvantur *succi Glycyrrhizæ unciæ duæ*, & *sapæ vini dulcis libræ duæ*, commixta coquantur ad pristinam seu crassiorem sapæ consistentiam, cui addatur *pulpa seminum Papaveris è capitibus suis superius exceptorum*, cum *decocti superioris asservatâ parte* per setaceum transmissa, sicque etiam legitimè paratum Diacodion usui servetur.

Diacodion Actuarii paulò artificiosiorem præparationem exoptat, quantumvis & illa præparatio, quæ in Animadversionibus ejus est præmonstrata, non sit spernenda, potest autem institui tali pacto:

DIACODION ACTUARII.

Diacodion Actuarii.

Recip. *Capitum Papaveris recentium, seminibus exemptis, Num. xiij,*
Rosarum rubearum unciam semis,
Radic. Consolid. majoris,
Balaustiorum ana drach. duas,
Myrti,
Dauci ana unc. unam semis,
Sumach.
Florum Altheæ ana drach. tres,
Seminis Portulacæ drach. unam.

coquantur, crassiusculè incisa & contusa cum *s. q. Aquæ* ad remanentiam *librarum circiter duarum*, cum *decocti hujus clarificati particulâ* paretur ex *seminibus Papaveris, jam jam è superioribus suis capitibus* exceptis *pulpa liquida*, per setaceum transmittenda, quâ interim servatâ, solvantur cum *reliquo clarificato decocto.*

Succ. Acaciæ
Glycyrrhizæ,
Hypocystidis ana concret. drach. una,

ac cum

Mellis despumati libris duabus,

Coquantur ad crassam mellis consistentiam, admiscendo, dum adhuc calet,

Pulver. Bolis Armeni unciam semis,
Corall. utriusque,
Sanguinis Draconis ana drach. duas,

Croci

Croci Austriaci drach. unam,
Cinamomi opt. vel quod melius foret,
Elaosacchari Cinamomi drach. semis,

Sicque conficiatur Diacodion ad præscriptum usum haut ineptum.

Quòd pondus *quorundam ingredientium* duplicârim, factum est ideò, quòd *ea in substantiâ & formâ pulverum* non addiderim, sed *decoctioni* una cum *capitibus papaveris* destinârim ad majores virtutes & gratiam insuper Diacodio conciliandam, quod ob quantitatem pulverum ingratum esset futurum, ac insuper inefficax, *Decoctiones* enim sive *extractiones* promptiùs, quàm *pulveres* penetrant, viresque suas exerunt: Reliquorum verò *ingredientium pulveres*, decoctionibus, (præsertim quæ *aquâ simplici* instituuntur,) non æquè ac reliqua accommodatos, in substantiâ admiscui, quia nec *Bolus* nec *Corallia* ab *aquâ* solvi, aut multum ab iis, *Corallia* præsertim, extrahi potest, ùti nec *à sanguine Draconis gummoso: Cinamomi* etiam vires in decoctione penitùs penitùsque exhalant, ùt & *Crocus* coctioni commissus nonnihil deperit; hinc illa, quippe quæ reliquis ingredientibus mioùs sunt nauseabunda, in substantia, in pulveremque redacta, huic diacodio addidi.

Ex hâc dextrâ hujus Diacodii præparatione, solidum Diacodium, quâ ratione parandum, patebit

Lohoch sanum. Lohoch sanum & expertum modo sequenti laudabiliter confici potest, utpotè

Recip. *Hysopi,*
Glycyrrhizæ, ana unciam semis.
Iujubarum,
Sebesten ana Num. xxx.
Passular. majorum enucleat:
Ficuum pinguium,
Dactylorum ana uncias duas,
Capillorum Veneris manip. unum,
Calaminthæ,
Rad. Ireos Flor.
Sem. Lini ana drach. tres.
Fœnugræci drach. quinque,

Concisa quæ conscindenda, & contusa quæ contundenda sunt, coquantur in *s. q. aquæ puræ* ad remanentiam circiter *librarum duarum*, decoctum coletur, ac *albumine ovorum* optimè clarificetur: Hinc ex,

Pinearum mundat; unciis duabus, &
Amygd. dulc. decorticat. uncia una,

in

in mortario optimè, & subtilissimè contusorum, beneficio *superioris decocti trium circiter unciarum* confice pulpam seu emulsionem crassissimam instar cremoris lactis, per setaceum transmittendam, quâ factâ, & interim paulisper asservatâ, cum *reliquo decocto clarificato.*

Sacchari albissimi libras duas

coque ad consistentiam Syrupo quodammodo crassiorem, cui Syrupo dum adhuc calet, immergantur ac commisceantur, *pulpa seu emulsio crassa Pinearum & Amygdalarum superius asservata*, item, pulveres sequentes, nimirùm:

Pulv. Liquiritiæ subtilissi.
Amyli ana drach. sex,
Ol. still. Cinamomi,
Anisi,
Fœniculi ana scrupulus unus, prius cum
Pulv: Sacchari albissimi drachmis sex circiter
commistorum,

Et efficietur sic Lohoch, nomini ejusdem correspondens, *Tragacanthum & Gummi Arabicum reddunt Lohoch satis nimis glutinosum, cum tempore.*

Nota: si quis *pulv. Tragacanthi & Gummi Arabici* admiscere voluerit, per me licet, sed edulium conficiet ingratum & glutinosum, eò magis, quò diutiùs asservandum; nam inter initia ob Syrupi lentorem promptè illa in viscum non convertuntur, sed successu temporis, glutinosa nimis unà cum Syrupo evadunt: Proindè suadeo, ut modo insinuato, auctâ quantitate & pondere *reliquorum ingredientium*, nimirùm *Pinearum, Amygdal. dulcium, Pulv. Glycyrrhizæ, Amyli, Ireos*, ut quæ Saccharo vel Syrupo magis correspondent quoad competentem compositionis normam, hoc Lohoch conficiant, quippe quod & ori gratum, ac viribus non exiguis futurum. *Oleæ still. Cinamomi, Fœniculi & Anisi* in Elæosaccharum prius conversa ultimò adjeci, eorundem autem substantiam totam ex quâ, primæ decoctioni detraxi, ne tota eorum vis & efficacia, in subtili partium tenuitate consistens in coctione exhalaret, sicque medicamentum eorum viribus effœtum redderetur, in attenuandis præsertim & incidendis crassis humoribus, quod ipsum per se aliàs crassum & viscidum, eò magis si *gluten Tragacanthi & Arabici gummi* adderetur. Et lubens informari cupio, quomodo crassissima & viscosa medicamenta, quorum non exigua copia in dispensatoriis extant, (quibus vires illæ incidendi & attenuandi cordatè adscribuntur) crassos pectori aut visceribus naturalibus & vitalibus impactos humores attenuare & incidere possint, quùm insuper etiam omnia similia medicamenta ventriculo immediatè ingerantur, nec citiùs prædicta viscera attingant,

usque

usque dum digestionem & mutationem sui inventriculo perpessa, prout reliqua similia esculenta vegetabilia, concoctionibus & mutationibus obnoxia, in chylum & sanguinem pro parte convertantur, ac consequenter per totum corpus distributa, in nutrimentum corpori tandem cedant; exigua insuper eorum particula, si doses eidem medicamento assignatas penitiùs contidero, partes affectas attinget. Magna proindè audacia in assignandis medicamentorum similium virtutibus perspicitur, quæ occulta interim debacchatur in ægrorum salutem: Ob id plurimi etiam inescati, qui descriptis laudum varietatibus nimium se circumveniri passi, decipientur & decepti sunt: Memores simus aurei præcepti, quod contraria contrariis curanda sint, consequenter crassa & viscida tenuibus attenuanda & incidenda, habitâ interim proportione materiæ peccantis, & medicamenti operantis, quoad quantitatem & qualitatem.

Crassa & viscida tenuibus incidenda & attenuanda, non itidem crassis & viscosis.

Ad classem undecimã.

CLassis undecima, quæ de speciebus aromaticis agit, & plurimis inutilibus compositionibus potiùs oneratur, quàm ornatur, suis Animadversionibus generalioribus & succinctis jam discussa est, quas benevolo Lectori unicè commendo, qui ipsus evidenter perspiciet, non tam in præparatione, quàm compositionibus earundem specierum errores haut leves esse commissos, quorum alios annexæ animadversiones in lucem producunt, alii verò ex novis specierum compositionibus Dispensatorii nostri novi palàm fiunt, quò benignum Lectorem relego, & subsequentem.

Ad classem duodecimam.

CLassem duodecimam Trochiscorum pariter pauciſſimis percurro, in quâ si Animadversiones nostras super illam factas, æquâ rationis & judicii lance trutinaveris, re ipsâ deprehendes, vix quidquam, quod ad dextram Trochiscorum compositionem & præparationem facere possit, omissum esse; detectis insuper erroribus haut levibus in eorum methodo tùm componendi tùm præparandi commissis, adeoque cuncta quæ ibidem prolata sunt Physicè & Medicè, Lectori potiùs commendare, quàm plura addere è re fore existimavi: Etenim non solùm quæ ad legitimam Trochiscorum compositionem & præparationem spectant, lucidissimè detexi, ubi monstravi etiam, non quodlibet cum quolibet aptè commisceri posse, verùm etiam quæ nemo ante me *de viperis & serpentibus* pervestigavit, ea theoricè & practicè, experientiâ & rationibus firmata, fideliter publico donavi. Examini quæso subjiciat, quisquis exacto judicio pollet, quæ, absque longo

longo verbosarum ambagium syrmate, *de viperis & serpentibus* publici juris feci, conferat autem ea cum illis, quæ apud diversos Authores *de viperis* tractantur, & manifestè deprehendet, eos vel ab aliis inconsiderato calamo sua exscribere, aut opinione pravâ novos errores procudere. Quod si quispiam autem authoritatem veterum occulatæ veritati pertinaciter oppouere præsumat, id quod sæpè & hodiè inaudire oportet, cùm hactenus sit numerus sanè exiguus eorum, qui damnatis veterum tenebris, ubi eos errare deprehendimus, in apertâ luce clarissimâ ambulare satagant, quin potiùs cum millibus errare, quam cum uno vel paucis sapere firmiter decreverint: Is profectò in venerandam Antiquitatem multùm iniquus est, utpotè, quæ passim in suis scriptis paratam se contestatur audire saniora consilia. Contulerunt igitur primi Authores sua fideliter in œconomiam Medicam, tunc quidem temporis optima, sed quæ tempore succedente exornare & meliora reddere nulla lex vetat. Et quis tanto mentis stupore torpebit, qui si Trochiscos viperarum veterum accurratiore mentis acumine æquiter saltem inspiciat, detectâ insuper fraude, quæ in illorum præparatione committitur, eos nihilominus adhuc juxta modum antiquum paratos, Trochiscis vel pulveribus meis viperarum fidelissimè edoctis præferendos, ac Theriacæ Andromachi admiscendos censeat? abhorret profectò animus talia perpetrari, quæ non nisi maligno aliquo spiritu instigante in humani generis perniciem extremam cedere possunt, ut undè vitæ salus speranda, exitium obrepat & adventet. Quæ plura addi possent in hâc & sequenti classe decimâ tertiâ, ea Dispensatorium novum ejusdemque Appendicis compositiones dilucidabunt.

Ad classem decimam quartam.

CLassem quòd concernit decimam quartam, eam perindè parùm percurrere libet: In illa autem primùm sese offert Theriaca, medicamentorum omnium Regina olim dicta, de quâ, quid sentiam, in Animadversionibus ejusdem liberè mentem exposui, legitimâ pariter ac convenienti ejus præparatione fideliter edoctâ. Ast quamvis in descriptione & præparatione ejus dextrâ veram ducem rationem secutus sim, quod nemo sanæ mentis, qui cum judicio illa perlecturus est, inficias ibit; plurimis tamen surdis fabulam narravi, eo quòd à conceptis semel erroribus, lucidissimè licet demonstratis & detectis, quamplurimi abduciſſe neutiquam patiantur, sed in summum humani generis detrimentum, hucusque cantilenam antecessorum, partim pertinaciter meliora scientes, partim inscienter, quòd nondũ dignati sint saniora lectione diligenti percurrere,

turpissimè obstrepant, & obnitantur, Pharmacopœis præcipientes, ut more antiquo similium & præcipuorum medicamentorum præparationes adhuc instituant, insçii, & incauti, sic multorum peritiorum Pharmacopœorum ac Posteritatis risui seipsos exponere exsibilandos, ut quæ tàm seriorum præceptorum simplicitatem & in arte hallucinationem jam jam agnoscit, & inposterum sepositа obedientiæ non necessariæ, imò noxiæ larvà, magis magisque detestatura est. Et quæ ratio est in Theriaces compositione & præparatione, entia citra necessitatem multiplicare? primo additione *Trochiscorum seu Magmatis Hedychroi*, cum propemodum *omnia* eorundem Trochiscorum *ingredientia* Theriaces compositioni anteà inserta sint, pauculis exceptis, rebus nimirùm cum qualitate suâ, tùm pondere nimis exiguo, huic Theriaces compositioni indignis & superfluis, uti ex resolutione nostrâ accuratâ patet. An non igitur consultius sit, *quantitatem simplicium specierum*, utramque compositionem ingredientium, competenter in ipsa Theriaces compositione & præparatione augere & junctim in pulverem redigere, quàm illa ipsa, *quæ Trochiscos Hedychroi constituunt simplicia*, sigillatim prius in massam & Trochiscos cum *vino falerno* redigere, exsiccare & denuò pulverisata iisdem *Theriaces speciebus sui generis & speciei* commiscere. Nam præterquam quod *harum specierum* (scilicet Trochiscos Hedychroi ingredientium) Trochiscatio seu efformatio in Trochiscos, planè insipida sit, cùm denuò in pulverem redigi debeant, earum insuper virtutes in exsiccatione Trochiscorum multùm exhalent, & consequenter effœtæ reddantur; sunt enim *species ut plurimum aromaticæ*, quarum efficacia in subtili partium tenuitate consistit, promptè exhalabilis, quamque exhalationem *dictarum specierum* maximè promovet, vehiculi instar, *vinum Falernum*, quippe quod ipsum non solùm penitùs penitusque in exsiccatione Trochiscorum exhalare debet, relicto pauculo crassamento tartareo Trochiscis admixto, verùm una secum rapit *portiones & subtiliores Opobalsami, cæterarumque tenuium partium specierum* exoptandas virtutes, quod ipsa dictat ratio.

Trochisci Hedychroi perperàm sigillatim Theriacæ admiscentur.

Trochisci de viperis ventilantur.

Porrò Trochiscos de viperis quod attinet, hi quamvis fideliter ad mentem Galeni cum *parte quarta panis bis cocti*, respectu *carnis viperinæ*, confecti essent, qui tamen revera non sunt, illos nihilominus rationabiliter approbare nequeo: Nam, dic amabò, quæ virtutes eximiæ & alexipharmacæ, *à pane bis cocto* sperandæ? aut quid is corrigere potest? cùm, si cujusdam veneni particeps esset *caro viperarum*, illud panis potiùs attraheret aut retineret, tanquam venenorum verum attractivum, juxta

Panis venenorum attractivum,

Docti-

Doctissimorum Virorum, assertionem, & quotidianam tempore pestis experientiam. Desuntne nobis in tanta ubertate præstantissimorum remediorum, quibus DEUS largiter nos donavit, *simplicia alexipharmaca pane aptiora*, quorum beneficio *caro viperina* in massam & Trochiscos cogi, diutiusque asservari, ac à situ & corruptione in longum tempus conservari possit? quippe quod additione *panis* minimè consequimur, sed ipse brevi (scilicet *panis*) situi & corruptioni obnoxius, in vermium escam cedit. Nonne igitur consultius foret *pulverem viperarum* saltem legitimè præparâsse & simpliciter asservâsse, (qui si *sale quodam* conditus est, in multos annos incorruptè perstabit) vel *illum pulverem* beneficio cujusdam *Gummatis* Theriacam aliàs ingredientis, in Trochiscos efformâsse, si diutius illos asservare animus sit; quæ cuncta fideliter & diversimodè ad delectum in Animadversionibus horum Trochiscorum edocui, ut uter arrideat modus, quis alterum amplectatur. Si igitur, Lector amice, ex hâc Trochiscorum de viperis præparatione, juxta mentem Galeni fideliter etiam instituta hæc sequantur incommoda, quid boni nobis promittere possumus, si *decuplâ aut duodecuplâ quantitate panis bis cocti, caro viperarum* excipiatur? & quidem necessariò, cùm aliàs impossibile sit, ut *caro viperina, unà cum jure*, in quo decoctæ fuerint *viperæ*, cum præscriptâ quantitate *panis*, *quartâ* scilicet *parte respectu carnis viperinæ*, in massam & Trochiscos efformari possit, quod fusiùs in antecedentibus Animadversionibus monstravi, & quam oculis propriis contemplatus sum, adulterationem manifestissimè detexi, adeò, ut quilibet nunc, qui mihi fidem adhibere nolit, ipsus periculum facturus, rei veritatem experientiâ comprobare possit. Transeo ad *Trochiscos de Scilla*, quorum loco *pulpam Scillæ* in correctâ Theriaces præparatione non sine prægnante ratione substitui: Etenim *Ceparum* omne genus in exsiccatione maximâ ex parte exhalat, relictis *membranulis inutilibus & effœtis*, *spiritu suo* nares aliàs feriente orbatis, quod in præscriptâ ab Authoribus Trochiscorum de Scilla præparatione evidenter demonstrari potest, modò is, qui eos paraturus est, *exactum pondus Scillæ*, & *farinæ Orobi* vel *Dictamni radicis* observet, experietur à *Scillæ* exiguum quid unà cum *farina Orobi vel Dictamni* post exsiccationem Trochiscorum remanere, uti fusiùs in eorundem præparatione, & Animadversionibus super eosdem factis evidenter demonstravi. Etenim, quod de *farinâ Orobi vel Dictamni* in exsiccatione Trochiscorum nil quidquam exhalare, ac nec in pondere diminui possit,

non correctorum.

Trochisci de viperis in præparatione nimia panis quantitate addendâ adulterantur, vel illegitimè parantur.

Trochisci de Scilla.

experimentum facere in facili est; nam quotiescunque *farinam sive Orobi, sive alterius cujusdam leguminis cerealis* sive humectaveris & denuò exsiccaveris, idem pondus, quod anteà erat, post exsiccationem in residuo manebit: adeóque non incongruum fore arbitror, *pulpam Scillæ* pro medietate ejusdem Trochiscorum, pro alterâ autem parte dimidiâ, pulverem *Dictamni albi, vel farinam Orobi*, utpotè ex quibus prædicti Trochisci unà cum *Scilla* parari consuevére, his de Scillâ Trochiscis substituere, si *Scillæ vires* necessariò Theriacæ virtutes alexipharmacas adaucturæ sint, de quo tamen meritò dubitari possit, interim tamen fides sit penes Authores.

Gummata duo solvuntur non diu coquenda sunt.

Cæterum in præparatione Theriaces observetur, ne *Gummata*, utpotè *Sagapenum, Oppopanax, Galbanum* in eorundem dissolutione multùm coquantur, sed selecta priùs & pulverisata, quod tempore hyberno fieri potest, in *vino Cretico, vel essentia vipersina*, cum *vino Cretico paratâ* saltem diluantur, super igne leniissimo, ne diuturnâ coctione vires eorundem præcipuæ subtilioresque compositio detrahantur, spiritu nimirum & oleo violentâ coctione evanescentibus: Si verò denominata *Gummata* unà cum *Resina Styracis, Mastiche, Olibano* & *Bitumine Judaico*, non nemo junctim in *Terebinthina & Opobalsamo* solvere intenderet, is, me judice, non ineptum opus perageret, cùm *Terebinthinæ* sit de naturâ *Gummatum resinosorum*, propterea facile in eâ illa liquantur & verè dissolvuntur, quod nec *vinum* nec *acetum* efficere potis est. Et hæc quoad nonnulla & præcipua, Theriaces compositionem ingredientia superaddita sufficiant, reliqua petantur ex præmissis ejusdem Animadversionibus.

Theriaca Romana.

Transeo porrò ad Theriacam auctam à Medicis Romanis & Bononiensibus, quæ ipsa Theriaca *multis rebus* vel *ingredientibus, nullâ planè alexipharmacâ virtute præditis*, præter alia indigna Theriacam Andromachi ingredientia aggravata est, utpotè, quod singulariter considerandum & reprehendendum est, SUCCO INFUSIONIS ROSARUM INSPISSATO. (res ludicra & risu digna.) Item, *Iride Florentinâ, succo Glycyrrhizæ, Agarico, Myrobalanis, sem. Anisi, Fœniculi, Gummi Arabico, radice Asari, Scabioso, Cornu Cervi usto* aliisque complurimis, adeò ut si quis eam penitiùs secundùm ingredientia ordine examinare intenderet, informe chaos atque mistura, nescio quo nomine indigitanda, exsurgeret: sed indigna sunt hæc pluribus verbis, nam brevibus complecti nequeunt, idcircò relegantur potiùs nimis auctæ hæ compositiones, & obliterentur, ne posteritati in risum cedant. Ego verò non

is sum,

is ſum, qui venerandæ Antiquitati quidquam detrahere præſumam, monſtravi ſaltem errores prægrandes, quibus illi, qui Heroſtrati, Epheſiani illius templi incenſoris inſtar, gloriolam in dedecore captaturi Antiquos ad invidiam onerant, & quem illi meriti non ſunt, deſpectui & opprobrio exponunt, non enim tot tantosque errores vel Galenus vel Hipocrates, quoad medicamentorum compoſitionem & præparationem commiſerunt, ut plagiarii audiant, quamvis ab initio Medicinæ tanquam inventores tantoperè verſati non fuerint, ut rem vel artem ſimul invenirent, ſimul excolerent, integrè, & ad totalem perfectionem perducerent: Hinc meritò, licet errâſſent, veniâ digni & honeſtam excuſationem promeriti eſſent. Sequens Theriaca Diateſſaron Meſues compoſitio inter præcedentem & ſequentem ipſam etiam Theriacam Andromachi, quoad compoſitionis concinnitatem, & *ingredientium Alexipharmacorum* competentem quantitatem, facilè primas tenet, quamvis & ſequens D. D. Auguſtanorum Theriaca ſuas mereatur laudes, modò inutilia quædam ſuperaddita reſecarentur, ac inſuper pondus quorundam ingredientium immutaretur.

Theriaca Diateſſaron Meſuæ ob compoſitionis concinnitatem commendatur.

Mithridatium Damocratis Panacæam mehercle nobis promitteret, ſi vera eſſent, quæ de immenſis ejus virtutibus ad tot tantaque morborum monſtra profliganda deprædicantur; reverà Dii eſſent Medici & Numine pleni, ſi talis medicina illis ſuppeteret, quâ ſolâ tantos in naturam humanam conjuratos hoſtes propellere poſſent; aſt facilè ruit tantùm medicamenti elogium, dum effectum promiſſis in pleriſque non reſpondere deprehendimus, & experientia conſulitur teſtis. Quod *Trochiſcos Cypheos* Mithridatii præcipuum ingrediens ſpectat, de his eadem quæ de *Trochiſcis Hedychroi* Theriacam ingredientibus dicta ſunt, afferri poſſent, verùm cùm in Animadverſionibus ejusdem Mithridatii ventilati ſint, illis nunc ſuperſedeo, & plura quæ eſſent in Mithridatii compoſitione & præparatione digna correctione, ex ſequentis Antidoti Matthioli Animadverſionibus, quæ plurimorum compoſitorum abſurditatem palàm faciunt, petantur.

Diacorum Meſuæ nobile medicamentum ſtomachicum confortativum nobis ſuppeditat, ac juxta Animadverſiones noſtras paratum, ori & oculis gratum exiſtet. *Aquam à radicibus Paſtinacæ & Acori decoctam*, non immeritò aſſervare, & *cum Melle* ad priſtinam ejus conſiſtentiam coquere juſſi, majorem enim Medicamento & Electuario addet efficaciam: Namque *omnia vegetabilia* cum *s. q. aquæ* decocta, ſuas

Diacorum Meſuæ nobile confortativum ſtomachi.

Quæ vegetabilia coctioni apta vel inepta sunt.

suas *aquæ* communicant virtutes, quarum alia quæ terrestriora ad extremam veluti humiditatis vel aquæ affusæ exhalationem, integris & nativis virtutibus adhuc prædita, in residuo manent: alia verò sulphureæ & subtilioris naturæ, coquendo cum aqua maximam partem, quæ subtilior & tenuior, exhalant, & in auras pelluntur, remanente parte saltem crassiore, de quibus fusiùs in Animadversionibus aquarum destillandarum in genere actum est. E numero itaque *Vegetabilium*, quorum virtutes, largiter licet decoctorum in residuo manent, sunt *hæ & plurimæ aliæ radices*, proindè *earum decoctum* virtutibus *radicum* prægnans, cum *melle* potiùs coquendo exhalandum, & virtutes *radicum* illi imprimendas, quàm inutiliter effundendum esse existimavi, quod ipsa ratio suadet: Quò minùs enim medicamenta simplicia & composita in virtutibus castrata & mutilata sunt, eò certiores & potentiores effectus ab usu eorum experiemur. Cætera quæ in hâc classe decimâ quartâ Antidotorum supersunt composita, suis Animadversionibus locupletata, & ab erroribus vindicata sunt, ita tamen, ut quod in uno desideratur, ex aliis peti possit.

Medicamenta in virtutibus non sunt castranda.

Appendicem classis decimæ quartæ, quæ de salibus theriacalibus agit, pariter à mævis & erroribus sufficientur, uti puto, repurgavi, adeò ut plura addere in præsens supervacaneum censeam, quamvis in facili esset plura ex viperis medicamenta & salia composita publici juris facere, verùm illa ibidem sincerè præscripta abundè sufficere mihi videntur. Habes enim, Lector amicè, ibi loci, non solùm plenariam ac veram de naturâ viperarum informationem vel doctrinam, sed & efficacissima & saluberrima ex iis paranda salia volatilia & theriacalia, composita & simplicia, sine fuco aut ambage sincerè depicta, quæ quantum differant, virtute, efficaciâ, & dexterrimâ præparatione ab Antiquorum salibus theriacalibus, judicium esto penes æquum Lectorem, qui si cuncta incudi rectæ rationis & judicii subjiciet, sine præconcepta opinione, facilè utroque in veritatis partes ibit, eique adstipulabitur: Felices sanè essent Medici & ægroti, si similia medicamenta alexipharmaca illis suppeterent, quæ verè Regia sunt, substantiâ & effectu, tàm exiguo præterea pretio redimenda, ut etiam in pauperum usus dispensari, adjumentoque esse possint.

Ingens differentia inter salia Theriacalia Antiquorum & Authoris.

Ad classem decimam quintam pertinentia.

IN classe porrò decimâ quintâ, quæ aquarum destillandarum compositiones & præparationes complectitur, nonnulla adhuc quæ majorem rerum naturalium notitiam afferre possunt, ut su-

ut ſuperaddam, movet me primò aqua Acoviſtica ſive ad auditum Mindereri; In hâc namque præter plurima abſurda alia commiſſa, video, *Acetis Scillitico & Rutaceo urinam capræ*, quæ invicem planè contraria ſunt, perperàm & inconſideratè affundi: Nam *urina cujuscunque perfectis animalis* in deſtillatione *ſpiritum* præbet *ſalinum*, *acrem*, acetoſorum & acidorum ſpirituum omnium mineralium tùm vegetabilium deſtructorem & planè contrarium. Etenim, ſi *urinam paſrumper fermentatam* (quæ aliàs in deſtillatione ſpiritum ſalinum acrem, vel ſal etiam ſummè volatile albicans eructat) *ſpiritibus acidis quibuscunque* commiſceueris, neutra, & a parentibus diverſa ſoboles progeneratur, ac ambo, tùm acidus cùm urinæ ſpiritus in ens alienum tranſmutantur contrarietate naturali, nempè qua acida & ſalſa in ſe invicem agunt, & ſe mutuò deſtruunt, hinc ex ambobus mixtis & deſtillationi commiſſis, *phlegma ſaltem inutile* elicitur, relicto in reſiduo *ſale quodam urinæ aliqualiter fixato*, quod per Alembicum ſimplici vel humidâ hâc deſtillatione pelli minimè poteſt, ſed in reſiduo manet totum; adeoque liquet, quàm imprudentes connubium contrariorum liquorum ab Authore inſtitutum ſit. Quòd ſi tamen nonnemo, omninò ex hiſce hujus aquæ præſcriptis ingredientibus plurimis ad effectus ipſi aſſignatos ſalutarem expeteret aquam, nec præſcriptâ in Animadverſionibus infuſione contentus eſſet, is ſe gerat tali modo:

Ex acidis & ſalſis neutrum quid generatur.

Aqua ad auditum, ſiu Acoviſtica Mindereri correcta.

Recip. *Herb. recent. Majoranæ*,
Origani,
Polÿ montani,
Roriſmarini,
Rutæ,
Salviæ hortenſis,
Flor. recent. Lavendulæ,
Sambuci ana manipul. ſemis,
Spicæ Romanæ pugillum unum,
Baccar. Lauri,
Iuniperi ana unciam ſemis,
Rad. Ireos Florent.
Cyperi rotundi,
Valerianæ,
Leviſtici ana drachmas duas,
Sem. Fœniculi,
Raphani,
Rutæ ana unciam ſemis, prius contuſorũ cum portiunculâ aquæ Epilept. Langii.

Caſtorei,

Galbani anæ drachmas tres,
Nucleor. Persicorum contusorum priùs ad pulveris formam, cum portiunculâ Aquæ Langii, vel Spiritûs Iuniperi, uncias duas,
Caparum conscissarum aut contusarum uncias duas semis,

His omnibus concisis, quæ consciendenda, & contusis, quæ contundenda sunt, superaffundantur

Spiritus urinæ puerorum, vel si mavis
Spiritus urinæ capreæ, aut
Vinæ saltem destillatæ spirituosæ libras unas,
Succi Raphani uncias tres
Aquæ vitæ Langii uncias duas,
Spiritus Iuniperi ex baccis uncias tres,

Et junctim brevi digestione præmissâ per Alembicum vitreum juncturis optimè clausis destillentur, addendo,

Spiritus Rosarum unciam semis,

Destillata aqua, affectibus aurium, earumque nervorum obstructionibus salutaris, in vitro benè clauso studiosè asservetur. Hanc autem aquam, si in usum trahi debeat, auribus nequaquam (uti nec quidquam aliud) largiter infundendam esse censeo, cùm membranula super annulum & subjecta officula expansa, Tympanum dicta, subtilissima sit, adeoque facilè rebus aut liquoribus acrioribus infusis, totaliter destrui & erodi possit, auditu ex toto abolito. Consultius proindè forè arbitror, ut saltem frustulo panis tritici è furno recenter extracti illa insperſa illicò auribus applicetur, & alligetur calidè, sicque ut calore panis & aquâ spirituosâ simul agente, crassi humores nervos & meatus auditorios obstruentes, incidi, attenuari, atque per insensibilem transpirationem, vel retrocedentes ad palatum per sputum & salivam evacuari possint. Quam ob rem non ineptè quis egerit, si similibus in affectibus, aquam illam ori immiserit, pro majore attenuatione & attractione humorum crassorum ab auditoriis meatibus (intra membranulam Tympanum sitorum) qui per Tympanum vix ac ne vix quidem illo illæso vel exeso, transudare possunt. Quod autem nonnulla ingredientia, utpotè *Rad. Cyclaminis, Bryoniæ, Pyrethri, & Cucumeris asinini, Colocynthidem, Aceta item Scillæ & Rutæ* excluserim a compositione, non absre factum esse arbitrare; quia partim terrestriora illi spiritu penetrante balsamico carentia, nil quicquam virtutis aquæ destillandæ impertiri possunt, sed eorum virtutes concretæ in residuo manent; partim verò *spiritu urinæ*, utpotè *aceta*, contraria & destructiva sint,

uti

uti fusius superiore monitione præcautum. *Cepas contusas* in paulò largiore quantitate, *succo earundem*, esse substituendas, non sine ratione existimavi, quùm *Cepæ* valdè viscosum in expressione præbeant succum, residuum autem ab *expressis Cepis*, iisdem gaudeat spiritibus subtilioribus, quàm succus ipse. *Nucleos Persicos, semina item Rutæ & Raphani* ad instar pulticulæ cum portiunculâ aquæ aliàs addendæ, prius contusa adjeci ob majorem, quem taliter contusa semina & nuclei in destillatione præbent, odorem & saporem, ac consequenter majores etiam virtutes.

Notandum porrò: quòd si aqua præscripta ori immittenda foret pro attenuatione & attractione humorum crassiorum & viscidorum in meatibus internis auditoriis, *illi sc. aquæ radices Pyrethri* prius esse immergendas aliquandiu: *Radices enim hæ* ab aqua extractæ, majorem illi conciliabunt efficaciam, quam si unà cum aliis speciebus destillationi essent commissæ, tùm illarum acrimonia, multoties licet destillentur, semper in residuo maneat.

Aqua seu potius essentia Antidotalis alexipharmaca D. Petri Matthioli, quàm imprudenter sit instituta, ex ejusdem Animadversionibus videre est, in quibus quidem haut perperàm ex *Antidotum ingredientibus, dempto melle & Syrupo de corticibus Citri*, essentiam extrahere consultius duxi; sed cùm dicta Antidotus tanta farragine inutilium, nullâque virtute Alexipharmacâ præditorum ingredientium superbiat, adeoque paratu tædiosa sit, aliam proindè longè concinniorem & præstantiorem nec non paratu faciliorem in præsens superaddam, quæ talis esto:

Essentia Antidotalis Alexipharmaca.

Recip. *Rad. Angelicæ,*
Imperatoriæ,
Levistici cum toto,
Zedoariæ ana unciam unam,
Herb. recent. Scordii,
Salviæ,
Rutæ ana unciam unam semis,
Cort. recent. Citri uncias duas,
Cinamomi acuti unciam unam semis,
Caryophillorum unciam semis,
Maceris,
Nuc. moschat. ana drach. sex,
Camphoræ drachmas tres,

Incisa crassiusculè & contusa immittantur Cucurbitæ vitreæ, quibus super affundantur,

ATENEO VENEZIA

Spiritûs Iuniperi ex baccis,
Vini opt. rectif. ana libra duæ,
Vini Malvatici libra una semis,

Digerantur in calore leni, vitro benè clauso, die unâ vel alterâ, hinc destillentur in arena ad siccitatem specierum; *Liquori egresso spirituoso* immergendo

sex viperas recenter mactatas unà cum cordibus & hepatibus earum vivis, diligenter autem ab exuviis intraneis capitibus & caudis repurgatas.

Ac in illo emori permittantur, taliter namque *spiritus viperarum vivificus liquori* integrè communicatur. Factâ pòst aliquali digestione, sequentia superinjiciantur, utpotè

Rad. Angelicæ uncia una,
Anthoræ,
Contrayervæ ana unciæ semis,
Helenij,
Morsus Diaboli,
Scorzoneræ.
Zedoariæ ana uncia una,
Herb. recent Rutæ,
Scordii ana unciæ duæ semis,
Bacc. Iuniperi uncia una semis,
Lauri uncia semis,
Cort. Citri recent. unciæ duæ,
Sem. Citri uncia una,
Myrrhæ rubræ splendidæ uncia dua,
Maceris drachmæ duæ

Et denuò in loco satis calido, sex circiter dierum spatiò, digerantur, cuncta autem immissa Alembico vitreo suo capitello munito, & præposito recipiente, commissurisque undique clausis, ut si quid *spirituosi liquoris* sursùm elevetur in digestione calida aut ferè fervida, in excipulum transeat, liquori in Alembico reaffundendo, *qui liquor* tandem per colaturam & expressionem à speciebus & viperis immersis segregandus, & *Syrupis sequentibus* edulcorandus est, utpotè

Syr. de Scordio simpl.
Cort. Citri ana n. m. parati uncias quatuor,

Fiat Essentia Alexipharmaca præstantissima, quæ studiosè filtranda ac usui asservanda est.

Essentia alia Alexipharmaca pro vilioris fortunæ hominibus ita parari potest:

Essentia Alexipharmaca vilior.

Recip. *Spiritûs urinæ puerorum vel hominis sani,*
Iuniperi ex baccis,
Aquæ Rutæ cum vino fill. ana libras duas,

Quibus

Quibus immergantur sequentia, incisa & contusa crassiusculè, nimirum

Rad. Angelicæ,
Zedoariæ ana uncia una semis,
Herb. recent. Scordii
Rutæ ana uncias quatuor,
Cort. Citri recent. extim. uncia duæ semis,
Baccarum Iuniperi uncias duas,
Myrrhæ rubræ uncias tres,
Maceris uncia semis

Et peractâ digestione, vel ebullitione unicâ factâ in Alembico vitreo suo capitello munito, & præposito recipiente, colesur essentia, speciesque fortiter exprimantur, additisq; tandem

Syr. de Scordio n. m. parati unciis octo,

Fiat Essentia Alexipharmaca, quæ studiosè filtranda ac usui asservanda est.

De Aqua Antiscorbutica Dorncreilii.

Aqua Antiscorbutica Dorncreilii, quædam assumit ingredientia, quæ præter aquam elementarem in simplici hâc destillatione nihil præbent, utpotè *Polypodium, Cort. rad. Capparum, Crocus ex parte, succus Fumariæ, serum lactis*, proindè me consule, consultius esset ex quibusdam hujus aquæ simplicibus, nimirùm *radice Raphani sylvestris acri, Cochleariæ, Beccabungæ, Nasturtio aquatico, Chamædry, semine Fæniculi, Cardamomo, Croco*, omnibus minutim contusis & consciissis, conditum *cum saccharo vel melle* conficere, quod ad præfatos affectus scorbuticos, longè majoribus polleret viribus, quàm ipsa eorum *destillata aqua*; eòque magis, si singulis diebus unà cum cibis usui illud ægrotantibus destinaretur; posset nihil minus *illud ipsum conditum*, si quis liquidis magis delectaretur, *cum vino* aut *sero lactis* confestim dilui, & colatum ad instar potionis exhiberi. *Aquæ Asthmaticæ ulterior dilucidatio.* Aqua Asthmatica tot ac tantis erroribus referta est, ut vix integra pagina illis saltem enumerandis sufficiat: Animadversiones super eam factæ, illorum errores potiores dilucidant; qui verò ex iisdem palàm fieri nequeunt, ex sequentibus quarundam aquarum compositionibus correctis, & omnium maximè ex Animadversionibus super aquas simplices destillandas in genere factis, facili negotio peti possunt, quo Lectorem brevitatis causâ remitto. Præscripta tamen informatio ibidem, de vegetabilium nonnullorum terrestriorum destillatione in genere factâ, non eò tendit, ac si illius aquæ Asthmaticæ destillationem cum omnibus ingredientibus eo modo instituendam & perficiendam existimârim, verùm ut is, qui destillationibus, rerumque destillandarum ignarus, apta aut inepta vegeta-

vegetabilia uni eidemq; destillationi destinata, discernere haut valet, plenam habeat informationem, & tanquam in theatro propositos productosque errores ex subsequentibus eò melius, ac accuratius dignoscere possit; quocirca in præsens, quod minimè conticendum, scituque necessarium est, silentio præterire nequeo nimirùm quòd sicut plurima esculenta vegetabilia planè nulli destillationi apta sunt, ita nec quædam in prædicta aqua Asthmatica quasi digito præmonstrata ingredientia, è quorum serie sunt, *Amygdalæ*, *Passulæ*, *Prunæ*, *Dactyli*, &c. quippe quæ à Creatore Summo esui destinata sunt, dissoluta verò à suo composito & corpore vi ignis, aut fortiori paulò destillatione, ibidem indigitatâ, longè alias & peregrinas proferrent operationes: Eadem ratio esto de *nonnullis radicibus & plantis*, *Glycyrrhizâ*, *Iride*, *Altheâ*, *Consolidâ*, *Betâ*, *Brassicâ*, & innumeris aliis; Undè suadeo, ne præcipitanter nimis simplicia quædam medicinalia præsertim esculenta, Vulcani torturæ subjiciantur, sed simpliciter sapore & dulcedine eorum aut quovis alio gustu amabili non destructo, nec multis rebus heterogeneis confusa in usum trahantur: Sint nobis exemplo *Saccharum*, *Passulæ*, *Ficus*, *Amygdalæ*, &c. quæ licet vel centies cum liquore aliquo iis affuso destillarentur, nequaquam tamen sive de dulcedine aut sapore, sive de virtutibus eorum quidquam destillando per Alembicum elevaretur, sed *Saccharum integrâ virtute & dulcedine præditum in pristinam formam solidam reducibile*, in residuo maneret: *Passulæ verò*, *Amygdalæ* & qui de genere horũ sunt fructus, quamvis destillata cum liquore quodam illis affuso formam mutent externam, & in pultem, ac si diu multumque cocta fuissent, contabescant, dulcedine tamen servatâ, & viribus integris in residuo prostant, quod manifestè patet in pulpis medicinalibus ferculisque plurimis culinariis mensæ & esui deputatis; illa enim parando, diu multùmque coquuntur sine virium deperditione, coctio autem quævis supponitur & est etiam reverà destillationibus, sive per balneum sive per arenam illæ fiant, violentior: Ergò si in coctione similium rerum, vires, odores & sapores earundem non exhalant, vel in auras pelli possunt coquendo, multò minùs eæ simpliciter destillatæ cum quodam affuso iis liquore, ad nutum & voluntatem cujusvis cervicosi imperantis, (qui suo imperio naturam audientem cupit, ut eædem res nunc coctæ in residuo maneant integris viribus adhuc præditæ, nunc leniter destillatæ in auras & aquam virtuosam abeant ad artificis lubitum) per Alembicum vapori exhalanti communicatæ transibunt. Porrò etsi prædicta vegetabilia,

Esculenta vegetabilia nulli destillationi apta sunt.

vio-

violentiori destellationi (quam in Animadversionibus aquæ Asthmaticæ edocui, & de alterius speciei vegetabilibus plurimis intelligi debet) committantur igniscil. aperto, sine liquore addito, nequaquam tamen & hoc modo proprias & nativas eorundem vires, sapores & odores in destillato adipisceris, sed potiùs, naturali corpore & composito dissoluto violentia ignis, ex dulcissimis rebus, liquorem acidum empyreuma redolentem, & oleum fœtidum, neutro tamen sui simplicis virtutes totius & nativas habente, sed rei destillatæ contrarias & peregrinas, ad suos usus licet non fortè totaliter inutiles, acquires: Proindè suasor sum, uti suprà, & prædictis in Animadversionibus aquæ Asthmaticæ innui, ut similia esculenta, fructus & herbæ, ad quæ à Summo Creatore ex terra germinare jussa sunt, victui nimirùm animantibus, vel saniore modo medicinæ accommodentur, & vel fercula ad nutrimentum & delicias sanis, vel medicinalia juscula ægrotis simpliciter, utplurimùm in culina ex iis dextrè conficiantur, nec adeò præposterè, prout vel sexcenties factum, simplici destillationi, quam posteritas ridebit, committantur. Et esto præterea ex *prædictis fructibus & vegetabilibus ferè cunctis*, præmissâ diuturnâ fermentatione, *spiritus tandem ardentes* beneficio destillationis elici possint, adhuc tamen & hoc etiam modo voti nostri nondum compotes erimus, nondumque certi, aliquid nativæ facultatis ad hanc intentionem, cui aliàs servire debent, per Alembicum transiisse, cùm *omnes spiritus ardentes*, ex quibuscunque etiam vegetabilibus naturâ suâ aliàs in excellenti gradu frigidis, stillati, calidissimi sint, adeoque cum *spiritu vini* pares utplurimùm producant operationes, subjectis suis ex quibus destillati, planè contrarias, quod in *spiritibus Pomorum, Fragorum, Frumenti, Rosarum, &c.* manifestum sit. Nemo enim *prædictorum spiritus ardentes*, simplicibus suis ex quibus prolecti, quantum ad qualitates & operationes attinet, æquiparabit, multò minùs si ex frigidioribus naturâ suâ herbis destillati essent, pari passu pro refrigerio ægrotis Medicorum quispiam propinabit. Porrò & hoc notatu dignum est, quod *dictorum simpliciũ spiritus ardentes*, non nisi ex magna illorum copia, adjecto insuper singulari fermento, & diuturnâ præmissâ fermentatione, impetrari possint; adeoque liquet, quòd positò, ex illorum magna copia quasdam nativas virtutes, unà cum spiritibus eorum destillando prolici, non æquè illud ex minutissima illorum quantitate, respectu copiæ ad spiritus ardentes eliciendos necessariæ, consequemur: Stabit igitur nostra de similium vegetabilium destillatione rata sententia, donec veriora & probabiliora quis attulerit.

Ex

Ex præmissa aquæ Asthmaticæ ejusque speciebus informatione facilè colligere est, quàm concinna sequentis balsami Embryonum compositio sit, cui plurima similia ingredientia, sine omni planè simpliciſſima Philosophia immixta sunt, ut mirari subeat, à quo spiritu ad compositionem hanc conflata sint. Reperiuntur tamen nonnulli, qui grande piaculum à me commissum vociferantur, quod inter reliqua incongrua, etiam *conservam Rosarum* pro hac aqua, vel in genere omni destillationi ineptam judicârim; cum tamen nemo unquam *Rosas* à destillatione arcuerit, sed eas ipse aquis destillandis adaptârim: Verùm facilis est & in promptu responsio, me scilicet non loqui *de Rosis simpliciter*, sed *de Rosis cum dupla quantitate Sacchari* oneratis, non, inquam, de *Rosis*, sed de *Saccharo*, Rosis pro conserva earundem paranda, in dupla quantitate addito, quod penitùs penitusque in residuo manet, uti supradictum, quæ vel famulis pharmaceuticis notissima res, sermonem facere, ad quid igitur perditio hæc? nonne *Rosæ* tempore veris & æstivo florent? & illis non prostantibus vel florentibus, tamen recentes per integrum annum in pharmacopoliis incorruptè asservantur, pauculo *sale communi* conditæ, quod ipsum *sal Rosis* necquicquam detrahit, nec tantillum de eo in destillationibus tanquam re fixa, per Alembicum transit. Quæ igitur ratio, *conservam Rosarum*, ex una tantùm parte Rosarum; duabus autem partibus Sacchari constantem, *Rosis recentibus* substituere, & miseris ægrotis, illis inquam quibus res est angusta domi, *conservâ Rosarum* etiam; utpotè *Rosis recentibus* decuplo cariore, non tàm quidem vitam, quàm ad vitam protrahendam substantiolam imprudenter subtrahere? Cætera quæ in hac speciosâ & ubivis tantoperè decantatâ compositione erant admonenda, ex præmissis ejusdem Animadversionibus elucescunt; supereſt ut aliam adhuc efficaciſſimi balsami Embryonum structuram adjiciam, quæ talis:

Summo vere, & æstivo post tempore, successivè collige:

Balsamus Embryonum.

Florum recent. *Paralyseos uncias sex,*
Liliorum convall. libram unam semis,
Violar. Martial. uncias quinque,
Arantiorum uncias sex,
Lavendulæ uncias octo,
Pæoniæ uncias sex,
Rorismar. cum foliis uncias quinque,
Rosarum Damascen. libras duas,
Tiliæ,
Fumariæ ana uncias octo,

Fol.

Fol. recent. Salviæ cum floribus,
Herb. recent. Majoranæ,
Melissæ ana uncias quatuor,
Rad. recent. Pæoniæ uncias duas,
Cinamomi opt. uncias quinque,
Nuc. Moschat. uncias tres,
Macis,
Cardamomi,
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Zedoariæ ana uncias duas,
Cort. Citri recent. extim.
Arant. extim. recent. ana uncias quinque,
Sem. Carui,
Coriandri,
Fœniculi ana uncias duas,

Horum quædam incisa & contusa, nonnulla etiam integra, utpotè *flores Liliorum convall. & Arantiorum* (ob odorem ingratum, quem acquirunt si contundantur) immittantur Alembico vitreo capaci, superaffundendo

Vini Malvatici boni libras octo,
Spirit. Cerasorum nigr. ard.
Fragorum ard. ana libram unam semis,
Rosarum ardent. libram semis.
Aq. Basilici,
Melissæ,
Menthæ ana sine additione aquæ simpl. destillatarum libram unam semis,

Relinquantur infusa in cellario, donec omnia successu temporis debitè collecta & unita sint, tùm destillentur per arenam, in Alembico vitreo, ad specierum siccitatem capitello ejusque rostro immissis, vel aquæ jam destillatæ aliquandiu immersis

Rad. recent. Pæoniæ,
Visci quercini
Ligni Aloës gummosi ana unciâ semis,
Croci Austriaci drachmis tribus,

Destillatum servetur usui, quod quotiescunque in usum vocabitur, *Syrupo meo de Cinamomo*, vel *de Corticibus Citri*, aut *Arantiorum*, vel alio quodam prægnanti mulieri grato Syrupo dulcoretur. Erit præstantissimum balsamum Embryonum, vel aqua cordialis, roborando fœtui materno ergastulo adhuc incluso, refocillandæque matri non tantùm, verùm & cuique ægrotorum languori & debilitati utriusque sexûs, si non tantoperè exæstuent, succurrendo idonea & accommodata.

Aquæ

Quâ ratione Animalia deſtillanda.

Aquæ Caponis compoſitio & deſtillatio, quàm perperàm inſtituta ſit, Animadverſiones ejuſdem luculenter commonſtrant: Aſſerui autem in iiſdem, *animalia* ſimpliciter, modoque ab Authoribus ſæpiùs præſcripto vel ad totalem ipſorum exſiccationem deſtillata, nil præter *aquam elementarem* exſudare, niſi fortè viventia adhuc *liquori alicui* immerſa, inque eodem ſuffocata, vel viva illico deſtillationi commiſſa, *ſpiritum vivificum ſummè volatilem* fundere, aut ipſi liquori communicare poſſint: Hæ aſſertiones ut cum majore emolumento conſtent clariùs, quædam Naturæ ſecreta, Medico ſcitu ſummoperè neceſſaria Tibi Lector Amice communico. Primò equidem compertum eſt, quod *viventia animalia, ſalutifera* puto, in *liquore aliquo* ſuffocata vel ſubmerſa, ſine deſtillatione etiam, *inſignes vivificas liquori* communicent virtutes, teſte Galeno, & plurimorum Medicorum aſſertione, qui *vinum in quo viperæ ſubmerſæ & ſuffocatæ fuerint*, leproſis felici cum effectu propinârunt: quo modo etiam fœminæ Anglicæ ad pulchritudinem corpori & faciei conciliandam, *vino illo viperino*, tanquam coſmetico interno, frequenter utuntur. Authoritatibus his adjungo meam experientiam, fidemque facio, me *ex vini illius viperini* frequenti uſu (cujus dextram præparationem fol. 215. Animadverſionum fideliter proſecutus ſum) inſignes ac felices obſervare operationes: Quid ni *ex aliis animantibus, nec non inſectis quibuſdam*, deſideratos quotidie experimur effectus? ſi vel *oleo* vel *alteri liquori* illa immerguntur & ſuffocantur, diverſa præſidia medica ex iis conficiendo: quibus ad altiora inquirenda manu veluti ducimur, ut nimirùm ad exemplum dictorum *ex nonnullis volucribus junioribus è nido recenter exceptis* ſimili & ſequenti modo, quem mox ſum expoſiturus, plura & efficacia nobis conquiramus remedia Medicinam verè excolendo. Secundò, quòd *viva animalia & quidem juniora* deſtillationi commiſſa ſola, *ſpiritum vivificum ſummè volatilem* præbeant, veræ rationi conſonum eſt, & inſuper experimentis, ſi quis fidem mihi derogaret, comprobare poteſt: Experimur namque in hoc genere medicinarum multa latere arcana, modò propiùs quàm per tranſennam naturam inſpexerimus. Ut autem unum atque alterum exemplum adducam, brevioribus quàm fieri poterit, accipiantur *hirundinum juniorum è nido recenter exceptarum, quotquot haberi poſſunt*, iiſque integris & vivis Alembico vitreo immiſſis, applicato capitello, receptaculoque vitreo præpoſito, & juncturis undique luto benè clauſis, ſubitò & derepentè in M. B. inſtituatur deſtillatio, continueturque, donec omnis humiditas

ditas prolecta, sit, quæ studiosè in vitro angusti orificii, cerâ & vesicâ optimè clauso, asservanda est, vel protinùs in usum trahenda. Ad eundem modum *excatellis, quinque vel sex dies natis*, animalibus nempè ad crasin humanam proximè accedentibus, calore & spiritu nativo uberrimè adhuc præditis, destillando præstantissima elicitur *aqua, insipida*, nec odore vel sapore ingrato imbuta, ad instar aquæ fontanæ, quæ quantis virtutibus excellat, ex eo liquet, quòd si membris dolore atrocissimo podagrico obsessis pennâ saltem illinatur, vel linteolo in ea madefacto parti dolenti applicetur, sine ligatura, in instanti ferè præsentissimum percipiatur levamen, doloribus evanescentibus. Præterea utraque aqua, sive *ex hirundinibus sive catellis vivis* stillata sit, & internè exhibita in Epilepsia tùm infantum tùm adultorum, virtutibus non exiguis pollet, mitigando & compescendo furentem Archeum; hinc & plurimis affectibus aliis atrocibus, hystericis præsertim proficua est, hâc tamen lege, ne rebus alienis & heterogeneis permixta, sed sola, nullâ re additâ peregrinâ, exhibeatur: Etenim tantæ sunt rerum medicinalium è diversis præcipuè remediorum regnis, contrarietates, ut vix exercitatissimo Philosopho & Chymico, nisi experientiam scientiæ speculativæ jungat, in conspectum & sensum veniant, adeoque longâ & diuturnâ experientiâ opus sit, qui determinatum determinato, ac homogeneo dextrè adaptare possit & nôrit, ni ex congerie & farragine diversarum rerum inutile & confusum chaos efficere velit. Porrò & hoc notatu dignum est, quod cùm hæ aquæ spiritum vivificum & consequenter summè volatilem contineant, eæ ad longum & diuturnum tempus viribus salvis asservari nequeant, utut arctè & studiosè vitra, quibus asservantur, obturentur, sed ut protinùs ac destillatæ sunt (quò citiùs eò, meliùs) affectui sive interno sive externo adaptentur, necessum est, cùm ultra duas vel ad summum tres septimanas vires non retineant; cujus me ipsum non una sed crebrior admonuit experientia. Hæc, Lector amice, tibi dono arcana & publici juris facio, ut ad majora semper adspirare possis. Haberem quidem uberem in ampliſſimo hujus materiei campo differendi occasionem, verùm cùm brevitati etiam in hac appendice studeam, illis nunc supersedeo, transiturus ad Chylostagma Diaphoreticum D. Raimundi Mindereri, in cujus aquæ Animadversionibus potiorem compositionem ingredientium partem commendavi, quamvis plura sint præter *Theriacam & Methridatium* quæ destillationi inepta sunt, utpotè ex succis, *succus Limonum, item Nucum juglandium & Acetosæ*: Ex radicibus, *radix Tormentillæ*,

ATENEO VENETO VENEZIA

Gentiana, Dictamni, Boleti Cervini, cortices Fraxini & Sambuci, &c. proinde abs re *ex speciebus residuis à destillatione*, extractum præparare præcepi, quod majoris in peste efficaciæ fore asserui, quàm sit vel ipsa Theriaca, si cum sua propria aqua extr. propinetur, adeoque quod uni, scilicet aquæ à speciebus still. deest, extractum relictarum à destillatione specierum supplere potest.

Aquæ Cordialis temperatæ compositio à suis erroribus sufficienter in Animadversionibus liberata est, noviter autem descripta ejusdem aquæ formulâ *σφάλμα typographicum habet, in pondere Croci commissum*, ubi *uncia una semis, pro drachmâ unâ semis* malè posita est; verùm cùm me absente irrepserit, & in mendis emendandis citra etiam voluntatem meam non admonitum sit, benevolus Lector me excusabit. Nec præterea me vitii aut erroris arguet, quòd loco *succorum acidorum, Citri nempè & de Rubo Idæo, &c.* qui nil planè in destillatione nisi *insipidam aquam veluti elementarem* præbent, imò loco *quarundam etiam aquarum, earundem plantarum spiritus* substituerim, tanquam aquis quodammodo potentiores & penetrantiores, his præsertim in affectibus, qui ob subitaneum virium lapsum ac defectum spirituum vitalium & animalium, uti est Apoplexia, Epilepsia, Paralysis, &c. quibus affectibus Author aquam hanc proficuam futuram censet, præsens & penetrans auxilium, quale calida hæc & spirituosa medicamenta promittunt, exposcunt. Quòd si verò quispiam temperatiorem aquam Cordialem exoptaret, En! habeat sequentem formulam:

Aqua Cordialis temperata.

Recip. *Aquar. flor. Arant.*
Buglossæ,
Lilior. convall.
Cerasorum nigrorum,
Melissæ citrat.
Rosarum,
Violarum ana legitimè & ferè sine additione aquæ simpl. still. libram unam,
Vini Malvatici libras duas,
Quibus immergantur successivè,
Herb. recent. Basilici,
Majoranæ,
Melissæ ana uncias tres,
Flor. recent. Anthos cum foliis,
Borraginis,
Buglossæ ana uncia una semis,
Ros. contus. & sale cond. libra unâ;

Tunsa

Tunicæ uncias quatuor,
Cinamomi acuti uncias tres,
Cort. recent. Arantiorum,
Citri extim. ana uncias quatuor,
Nuc. Moschat. uncias duas,
Macis uncias una semis,

Et factâ digestione sufficiente, destillentur in arena, junctûris vasorum luto benè clausis, ne quid exspiret, capitello tamen, & porrò aquæ jam dum destillatæ immissis & immersûs.

Crocis Austriaci drachmis duabus,
Ligni Aloës gum. odorif. drachmis tribus,
Moschi & Ambræ si lubet ana scrupulo dimidio.

Aqua perfecta servetur usui, cordi roborando præstantissima, tùm internè assumpta vel pota, tùm externè regioni cordis & pulsûbus admota.

In sequentibus aquarum compositionibus observentur singularum Animadversiones, in quarum nonnullis post peractam destillationem, aquarum compositarum à speciebus suis relictis extracta beneficio cujusdam menstrui vel spiritûs conficere, atque unà cum aquis propriis ægrotantibus propinare non abs re esse censui, prout superius in Chylostagmatis Diaphoretici Animadversionibus liquet: Etenim uti jam sæpiùs & ad nauseam inculcatum est, non omnia vegetabilia suum in simplici destillatione emittunt vel eructant saporem & odorem, consequenter nec virtutes, sed quædam concreta integris viribus prædita in residuo à destillatione manent, quod luculenter patet, cùm in amaris, dulcibus, acidis, tùm adstringentibus, & omnium maximè in catharcticis manifestissimum hujus assertionis argumentum patescit: Proindè ne planè inutiliter aquarum compositiones illa ingrediantur, extractum ex residuis à destillatione peractâ speciebus, conficere jussi, eò, quod una cum sua destillata aquâ in quantitate competenti exhibitum, omnium ingredientium vires, si in unum conspirent effectum, nobis promittere possumus. Res quidem fateor eminùs petita, & satius esset, illa vegetabilia quæ destillationibus simplicioribus in virtutum suarum largitione non obtemperant, penitus omittere, & ex iis sigillatim extracta conficere, ne utilium rerum extracta, extractis inutilibus, utpotè eorum vegetabilium vel ingredientium, quæ per destillationem suas universas jam edidêre vires, commisceantur, & consequenter utilium rerum extrahendarum extractum, extracto inutili, scilicet earum rerum, quæ per Alembicum destillando suas vires & saporem & odorem emittunt, saltem gravetur, & cùm in

pondere & quantitate, tùm ſapore etiam ingrato & magis nauſeabundo ſuccreſcat & augmentetur. Verùm cùm mei arbitrii in opere Animadverſionum eſſe noluerim, ingredientia cunctarum compoſitionum immutare, vel quædam illorum è compoſitis elidere, quippe quod rarò, & non niſi meritò, rationibus ſufficientiſſimis ſuffultus tentavi, idcircò ubi aliqualiter ſaltem compoſita in ſuis ingredientibus ſalva conſervare potui, illa, quàm fieri potuit, modo meliore digeſſi, ut vires impoſterum cunctorum ingredientium in compoſitis ſalvæ conſerventur, & vel nec quicquam de iis quod utilè foret, inutiliter perderetur, aut gratis eſſet adjectum.

Aquæ Hirundinum omnes juxta meas Animadverſiones paratæ, non exiguis viribus pollebunt, modò illud obſervetur, quod paulò ſuperiùs in hac Appendice de *vivis animalibus deſtillandis* Lectori obtuli, & *hirundines vel integræ & vivæ per ſe* deſtillentur, vel illicò, poſtquam vel vivæ vel laceratæ in deſtinatum liquorem deſtillandum immiſſæ fuerint, deſtillatio, rebus omnibus prius in ordinem redactis, ſine mora inchoëtur. *Acetum autem, præſertim Scilliticum*, cujus amaritudo nequaquam per Alembicum tranſit, ſed in reſiduo manet, omitti poteſt ſine nocumento ullo, prout in tertiæ harum aquarum hirundinum compoſitionis Animadverſionibus pridem edocui: Namque *acida omnia ſalſis contraria*, illa ſcil. *ſalſa* in aliud ens transmutare ſolent, *acido* reciprocè deſtructo, ut neutrum horum pòſt, nec *acidum* nec *ſalſum* nativas ſuas vires amplius exſerere poſſit: *Spiritus autem vivificus hirundinum* non niſi ex *ſubtiliſſimo ſale volatili* conſtare poteſt, quùm omnia animalia, prout in analyſi animalium edocui, ex meris volatilibus, & quidem pro maxima eorum parte, ex *ſale volatili, ſpiritu fœtido inutili*, ſi ſale ſuo volatili per ſublimationem privatus ſit, *& oleo fœtido* ſale volatili etiam pleno, conſtructa & conflata ſint; quæ proni *acida* ferre nequeunt, ſed ab iis contrarietate nativâ, quâ acida & falſa ſe invicem in virtutibus ſuis propriis deſtruunt & perſequi ſolent, vel diminuuntur vel alterantur. Atque hinc liquet, quàm maximè in compoſitionibus medicamentorum cavendum ſit, ne tàm facilè cuncta cùm vegetabilia, tùm animalia & mineralia indifferenter uno in lebete coquenda, conglomeremus, niſi prius optimè perſpectâ & cognitâ contrarietate ac heterogeneitate, quâ unum alteri, *acidum* nempè *ſalſo*, *ſalſum acido*, *fixum volatili*, *amarum dulci*, *&c.* contrariatur, ut hinc ens veluti neutrum actione & reactione conſtituant, ac per conſequens peregrinas pòſt edant operationes.

Quapropter cùm arduum ſit cognoſcere & nemini adhuc ſatis

per-

perſpectum, quomodo res naturales, intra etiam limites unius ejuſdemque regni in ſe invicem agant, conſilio magno nobis ſit, prout ſæpius mentionem feci, ut ſimplicitate in re medica contenti in congeſtione tot, tantarumque diverſarum rerum labore inutili ſuperſedeamus & parciores nos præbeamus, atque vel unô ſimplici ſimpliciter ad quod à DEO conditum eſt, vel ſaltem paucioribus, inter ſe tùm manifeſtè tùm occultè non contrariantibus, medicinam faciamus, prout pauperes & ruſtici, quibus non rarò à Summo Medico ex merâ commiſeratione remedia ſaluberrima revelantur, quibus magna in magnis præſtant morbis, quandoque in opprobrium Medicorum. Hinc quoque facilè adducor ut credam, ſi à tot ſeculis elapſis à quo Medicina inſtituta eſt, vel Medicorum innumeri unum ſaltem ſubjectum medicum aut ſimplex intimè magis & penitius exploràſſent, prout veneranda egit Antiquitas, pridem jam ars medica perfectionis culmen attigiſſet longè facilius, quàm compilatione tot tamque diverſarum rerum & compoſitorum indiſtinctâ farragine. Aſt fortè ingratitudo noſtra non meretur, ut tanta Naturæ miracula nobis pandantur, & in aperto maneant (quæ ſaltem pauperibus divinitus inſpirantur) ſed vel invidiâ occultentur, telluri illa tandem ſepeliendo, vel incongruâ aliarum rerum additione denuò obliterentur, quùm nemo dóctus habeatur Medicus à vulgò, qui ubi uno vel duobus ſaltem aut tribus rem totam benè concludere poſſet ſimplicibus, morbo cuidam ſufficienter oppoſitis, ducenta vel plura neſciat coagmentare omnis generis vegetabilia, animalia & mineralia, quorum tamen diſcordia evidens non rarò affert nocumentum, dum iſtud attrahit, illud expellit vel propellit, diſſipat aut per Diaphoreſin agit, hoc adſtringit, illud taxat, &c. adeóque quod uni morbo curando, unum à Summo Conditore creatum eſt ſimplex medicamen ſufficiens, id ipſum inutili & haut innoxia diverſarum rerum commixtione in actione & operationibus ſuis nimioperè impeditur, & vel totaliter inefficax redditur, quippe quod non ſolùm diverſis aliis heterogeneis qualitatibus manifeſtè vel occultè contrariis ab energia & vigore actionis deturbatur, verùm & in doſi competentes, quâ neceſſum eſſet, & morbi ferocia efflagitat, propter quantitatem diverſarum rerum aliarum admixtarum, propinari minimè poteſt, licet ab adjunctis plurimis in actione ſuâ propriâ non præpediretur: Quô fit, ut nil certi ab effectu plurimorum compoſitorum nobis promittere poſſimus, & tùm Patiens tùm Medicus ambo ſpe ſuâ fruſtrentur, ille inſuper quandoque in vitæ diſcrimen ac ſanitatis diſpendium conjiciatur, hic verò vulgi ludibrio

Præſtaret ad imitationem plebis, apud quam non rarò optimæ experimenta oberrant, unô eoque certo ſimplici uni obviam ire morbo, quàm receptas trium ulnarum fabricare.

exponatur, ut ipsa etiam Medicina merè audiat conjecturalis. Rerum medicinalium incerta dimensio qualitatum primarum, compositorum medicamentorum initialis causa, in medica arte vel scientia plus damno quàm emolumento fuit: Nam præterquam quòd planè inferti simus, utrum hoc vel illud vegetabile in primo vel secundo, tertio aut quarto gradu calidum, frigidum, humidum aut siccum sit, latent nos insuper occultæ earum vires & qualitates utplurimum, quibus totâ suâ substantiâ & appropriatione huic vel illi affectui aut morbo contrarientur, nullo habito respectu primarum qualitatum: Etenim certum est, & à Medicis sanioribus tritum jam, Alexipharmaca non agere contra venena aut venenatos morbos, quatenus vel calida vel frigida, humida vel sicca sunt, sed quòd qualitate occultâ à totâ substantiâ promanante, venenis, venenatisque morbis contrarientur, quam dotem illis non contulit rixosum quatuor qualitatum elementariarum conjugium, sed jussus seu FIAT Verbi Conditoris, ipsis liberalissimâ bonitate in potestatum vitalium, constitutâ cuique dierum serie, spirituum attenuatione dilabentium solatium indidit, & suo velut sigillo insculpsit. Hoc si verum, uti verissimum, quidni par ratio sit in cunctis aliis morbis, qui omnes ferè ad mentem doctiss. & acutiss. Helmontii, venenatæ cuidam Ideæ originem suam debent, ut hinc sua quilibet morbus exposcat Antidota vel specifica medicamenta, totâ suâ substantiâ illi contraria vel opposita, & proindè non frigida ut frigida morbis æstuantibus vel calidis semper opponenda, sed specifica, morbisque totâ suâ substantiâ contraria sint adhibenda; quippè cùm calor ut calor non sit ipse morbus, sed morbi aut materiæ morbificæ productum, sive ut cum eodem pyrotechnico Helmontio loquar, Archei nostri nisus, conans peregrinum expellere hospitem, ejusque materiam conjunctam. Sit nostrum itaque unicum studium, ut si fieri possit, morbis cunctis majori diligentiâ sua specifica investigentur remedia, quippè vel simpliciter, vel eorum essentiis, extractis aut decoctis propinatis, longè feliciores ab iis habebimus effectus, nec tot inposterum committentur in compositionibus ob rerum contrarietates, errores, quorum non pauci etiam cernuntur in sequenti aquæ Lithargyri compositione, quos licet in Animadversionibus super eandem aquam factis obiter quasi spongiâ absterserim, nihilominus ut penitiùs & clariùs detegantur, & majorem in arte destillatoriâ tyrones acquirant informationem, operæ pretium esse duxi (quamvis aqua illa parvi sit momenti, & eorum usus vel ab authoribus ipsis ignoretur) eam paulò accuratiùs ad incudem

Affingere simplicibus certum gradum elementaris qualitatis, neglectâ eorum dote specificâ noxium in medendo.

rectæ

rectæ rationis & judicii revocare. Conflata autem est illa aqua Lithargyri ex rebus pro maximâ earum parte destillationi nequaquam obedientibus, inter se etiam contrariis & invicem repugnantibus, utpotè salîs & acidis. Et ut primùm sermonem inchoëmus de Lithargyro auri & argenti, quæ aceto acerrimo superfundenda, in infusione per biduum relinquenda, & tandem acetum ab iis destillatione evocandum sit: Hæc ipsa destillatio ut malè instituta, ita pessimum sortietur finem; Nam *Lithargyrus*, metallum veluti est, id est, plumbum, respectu vegetabilium res fixa, adeóque destillationi præceptæ perperam commissa: Ex eo *beneficiò aceti destillari* solvitur vel extrahitur dulcedo quædam saccharina, ita ut acetum illi superfusum, omni aciditate privetur & dulcissimum acquirat saporem, humiditate autem aceti ab eo abstracta (dico humiditate aceti, quia reverà saltem humiditas vel phlegma aceti abstrahitur, relicto aceti acore unà cum Saccharo Saturni in fundo, qui in aliud esse transmutatus est) prout aliàs soluta metalla per aquas fortes, abstrahi solent, remanet *plumbi vel Lithargyri vitriolum*, quod aliàs *Saccharum sive sal* appellari consuevit: Istud *Vitriolum, Saccharum, sive sal* (quodcunque etiam nomen illi indideris; non enim variat hæc solutio à quacunque alia, quorumcunque metallorum, cum idipsum Saccharum Saturni in pristinum metallum & plumbum redigi possit) vel centies destillatum *cum quodam affuso liquore*, semper *idem sal sive Saccharum*, ejusdem saporis, ponderis & virtutis in fundo Alembici, humiditate totaliter abstractâ, remanet: Quod si verò *idem sal siccum* violentiori igni & destillationi tradatur, *spiritum præbet rubrum ardentem*, ad instar *spiritus vini*, penetrantissimi odoris empyreuma spirantem, qui *spiritus aceti soboles est*, & cum *plumbo* sese indissolubili, nec nisi destructorio igne separabili nexu conjunxerat in ejusdem solutione, in fundo autem vasis destillatorii *plumbum* remanet, nigredine & spurcitie quadam contectum, quodque denuò *cum aceto stillato* solvi, & *idem sal* sive *vitriolum* ex illo effici potest quod antea, puriùs tamen priore, nam *Lithargyrus* multis scoriis, sale item peregrino terrestri scatet, hinc *ex plumbo ipso, minerâ plumbi, cerussa & minio*, perfectius & præstantius *Saccharum* elicitur, quàm ex *Lithargyro*. Atque hinc manifestè patet, hanc *Lithargyri* destillationem *cum aceto* perperam esse institutam, sine rerum naturalium cognitione, & utrumque nimirùm *acetum* & *Lithargyrum* inutiliter huic compositioni adjecta, & planè deperdita esse. Porrò quod secundum obtinet locum in hac compositione *Alumen plumosum est*, res inter

Saccharum Saturni est plumbi vitriolum.

mineralia fixissima, omnem strenuam ignis violentiam spernens, imò quo violentiore igne illud crematur, eò candidius & perfectius evadit, nihil ferè à suo pristino esse immutatum: Quod si ita est, uti verissimum experientiâ teste, quid simplici hâc destillatione per Alembicum, *aquâ Rosarum* insuper affusâ, etiamsi millies destillaretur, aliud elicietur, quàm *aquâ Rosarum* in virtutibus suis nec aucta nec diminuta, de pondere ejus exiguo scil. drachmâ unâ nil dicturus sum, uti nec etiam de pondere *salis gemmæ*, quod ipsum *sal gemmæ* perindè simili destillationi adaptandum planè ineptum est; quotiescunque enim illud cum liquore aliquo solvitur, & denuò violentissimâ coctione, aquam evaporando, coagulatur seu exsiccatur, *item sal uti antea* in fundo vel residuo manet, nec quicquam immutatum, nevé in virtutibus diminutum aut salsedine privatum; siquidem si *spiritus salis* destillandus est, is per retortam igne violentissimo ex *sale sicco cum terrâ insuper figulinâ vel bolo*, *aut potiùs alumine calcinato*, in dupla vel tripla quantitate permixto, destillari consuevit, nullo modo per Alembicum, liquoribus insuper sali affusis, rebusque planè heterogeneis additis, *salis spiritus* elici poterit. Sequentem post sal gemmæ locum in hac compositione occupat, *Thus masculum*, quod ipsum etiam hîc simplici destillatione in Alembico, tanquam resina aut Gummi resinosum, exiguum quid emittere potest, nisi aliâ viâ oleum ejus & particulæ spiritûs acidi, per retortam nimirùm destillando fortiore igne expellatur, thure tamen re siccâ permixto, quæ ejus liquefactionem impediat, secùs malè cederet destillatio. *Camphora* Thuri sequens hujus compositionis ingrediens, perindè admixto *bolo* vel *terrâ sigillata* in oleum destillatur, tanquam resina vel ipsa Naphtha, aquis impermiscibilis, nisi fortè odore quodam illas imbuat. Proxima Camphoræ est in compositione *aqua Rosarum*, quæ sola sine virium deperditione destillando elicitur prout affusa est, odore exiguo peregrino, à Thure & Camphorâ, imbuta. Colophonem verò imponit huic compositioni *oleum Tartari*, utrum autem *liquor salis Tartari*, qui vulgò oleum nuncupatur abusivè, sive *verum oleum destillatum fœtidum*, quod nec ego existimem, huic compositioni jungi debeat, decisio sit penes Authorem; quodcunque tamen horum intelligant, neutrum huic destillationi per Alembicum aptè committi potest: nam si *liquorem salis Tartari* addiderimus, ejus humiditas saltem elementaris, *à sale Tartari* in aërea liquefactione attracta, per Alembicum destillando transit, remanente *sale Tartari* in fundo Alembici residuo, nec quicquam in virtutibus quantitate aut esse suo diminuto;

diminuto; etenim *ſal Tartari rex fixa*, ſtrenuam ignis violentiam uti metalla fixa ſuſtinere poteſt, quippe quod *à Tartaro igne violentiſſimo cremato* extractum, adeoque quod ſemel atque iterum tantùm ignis violentiam ſuſtinuit, non illicò poſt aquâ illi affuſâ deſtillatum, ad cujusvis imperantis nutum volatiliſabitur, & per Alembicum unà cum aquâ illi affuſâ, deſtillando tranſibit, prout alibi de Spodio, Cornu Cervi uſto, & ſimilibus ſæpiùs inculcatum eſt. *Oleum verò Tartari ſtillatum fœtidum*, ſi quis fortè addendum fore compoſitioni exiſtimaret, non autem *liquorem ex ſale in humido frigido loco reſolutum*, eodem in errore verſatur; nam nec ipſum in ſimili deſtillatione unà cum aquâ ſurſum ſcandit, aut deſtillando per Alembicum elici poteſt, ſed neceſſum eſt, ut per retortam, cineribus aut aliâ re ſolidâ vel ſiccâ prius permixtum, ejus deſtillatio, ſi neceſſariò foret deſtillandum, perficiatur. Et tandem, poſito, ambæ *aquæ*, nimirùm *prima quæ de Lithargyro cum aceto*, & *alia ſecunda*, quæ *ex cæteris ingredientibus cum aqua Roſarum & oleo Tartari* deſtillari præcipitur, viribus ſuarum ingredientium nativis uberrimè eſſent imbutæ, illæ tamen invicem commixtæ, (cùm, uti ſuſpicor, commiſceri debeant, aliàs enim ſub uno titulo utraque deſtillatio non eſſet comprehenſa, propterea hâc etiam in parte Author mancus eſt,) præcipitatum ad inſtar ceruſſæ efficerent, cum deſtructione vel annihilatione aciditatis primæ, & ſalſedinis ſecundæ deſtillationis ſive aquæ: Nam ſi ſolutioni *Lithargyri cum aceto factæ*, *liquor Tartari*, vel uti vocant, *oleum Tartari* infunderetur, plumbum cum aceto ex Lithargyro ſolutum illicò præcipitaretur in forma pulveris albicantis ſeu ceruſſæ, quia *ſal Tartari & acetum*, (licet ab uno ſubjecto ambo profecta,) invicem commixta, illicò ſeſe mutuo amplexantur, levi contrarietate oborienте; hoc autem amplexu fit, ut aciditate, quâ plumbum ſolutum eſt, & illud liquore tenùs ſecum retinet, à ſalſedine tartari deſtructa vel immutata, plumbum anteà ſolutum deſerat, fundumque ad inſtar Ceruſſæ petere ſinat, quippe quod denuò in priſtinum metallum & plumbum pro parte ſui, igne violento reducibile eſt. Perſpicies ergò, Lector candide, ex præmiſſis fundamentis, quàm indigni errores in hâc unicâ & vix caſsâ nuce dignâ compoſitione, quæ verè non meretur ut operam meam in erroribus ejuſdem recenſendis & enucleandis impenderim, commiſſi ſint, ac meritò cùm illa nulli uſui ſit, operæ meæ parcere potuiſſem; verùm ut illi, qui rerum deſtillandarum exactam notitiam non habent, ex præmiſſis manifeſtè agnoſcant, non quodlibet cum

quolibet dextrè & legitimè commiſceri poſſe, nec quodlibet cuilibet generi deſtillationis aptè committi, ſed meliore quàm fermocinali Philoſophiâ pro legitimâ & dextrâ medicamentorum compoſitione & præparatione opus eſſe; ideircò paulò exactiùs hanc indignam compoſitionem examini veræ Philoſophiæ ſubjicere operæ pretium duxi, cùm ex præmiſſorum diligenti lectione, non pauça, quæ veram & legitimam componendi medicamentorum methodum concernunt, palàm fiant, cui quilibet veritatis ſtudioſus, qui æquo animo & ſaniore judicio præditus in verba antiquorum jurare non conſuevit, ſecurè inniti poteſt: Hoc inſuper ſibi perſuaſum habeat, quod juxta *Terentium*: *Non omnia apud Antiquos meliora, ſed noſtra quoque ætas multa laudis & artium imitanda tulerit poſteris.*

Easdem ferè cum prioribus aquis deſtillatis laudes meretur aqua Nephritica Brenggeri, quam ut ſeveriori inquiſitioni etiam ſubſternamus, non inconſultum duximus, cùm illius præmiſſæ Animadverſiones paulò generaliores factæ, ejusdem errores ſigillatim & diſtinctè non dilucident, qui tamen diſtinctiùs explicati, multis praxin medicam initiantibus informationi eſſe poterunt, ne poſthac in ſuis medicamentorum præſcriptionibus, præſertim aquarum deſtillandarum, adeò turpiter hallucinentur. Aſſerui autem in præmiſſis ſuper aquas deſtillandas in genere, non omnia vegetabilia in deſtillationibus nutui noſtro auſcultare aut parere, multò minus uni eidemque generi deſtillationi illa ex æquo committi, ſumptô nimirùm judiciô ab odore & ſapore vegetabilium, tanquam infallibili teſtimonio; quippe nonnulla illorum & ſapore & odore ſuas imbuunt aquas ab iis deſtillatione prolectas, utpotè *Cinamomum*, *Aniſum*, *Fœniculum*, &c. Quædam ſolùm odorem fundunt deſtillata, relicto ſapore in reſiduo, utpotè *Abſinthium*, *Roſæ*, &c. Reliqua planè deſtillationibus inepta, nullum vel saporem vel odorem eructant, ſed integris virtutibus in reſiduo ſive decocta ſive deſtillata manent, è quorum ſerie haud exiguus eſt numerus, utpotè *fructus pulpoſi*, *dulces*, *amari*, *acidi*, & *adſtringentes*, Item *olera quamplurima*; quæ omnia exactè noſſe oportet, ſi utile quid in compoſitionibus præſcribendis & efformandis præſtandum, ſecùs infiniti committentur errores. E numero autem illorum ingredientium, quæ & ſapore & odore ſuo aquam hanc imbuunt, ſunt tantummodò *Cinamomum*, *Fœniculum*, *Macis*, *Terebinthina*, &, ſi *ſal Succini*, *volatile puro*, ex deſcriptione pulveris contra calculum primæ compoſitionis hùc revocare velis.

Aquæ nephriticæ ſimplicia congrua, & incongrua enumerantur.

Secundam

Secundam seriem, quæ nimirùm odorem tantùm aquæ dictæ communicant, sunt *bacca Iunipers, lignum Sassafras, nuclei Cerasorum, Persicorum & Prunorum sylvestrium.* Tertium ordinem, utpote quorum sapore & odore aqua illa totaliter destituitur, virtute & efficaciâ in residuo manente, reliqua omnia hanc compositionem ingredientia constituunt, nimirùm, *radices Althea, Ononidis, Petroselini, Malva & Saxifragia; semina Ceparum, Cynosbati, Malis Solis & Vrtica, bacca Alkekengi & Hedera; cortices Frangula & Tamarisci; lignum Guajacum & Nephriticum; succi Fragorum, Limonum, Asparagi, Raphani & Veronica*: Imò ex descriptione pulv. contra calculum, illa quæ antea huic compositioni non insunt, huic ordini annumerari possunt, nempè *Liquiritia, Pimpinella, semina Eruca, Dauci, Violarum purpurearum, Lactuca, Papaveris albi, quatuor frigida majora, & Hyosciami; Herniaria Hollerii, Gummi Cerasorum & Tragacanthum, Terebinthina ad duritiem cocta; magisterium oculorum Cancrorum, lapides Iudaici, Spongia & Nephritici, Cantharides & Saccharum candi.* Et ne existimes, Lector benevole, hanc assertionem invalido niti tibicine, inspicias ipse quæso compositiones & præparationes plurimorum Syruporum decoctorum, & electuariorum Dispensatorii Augustani, reipsâ experiêre, has species ferè omnes, pauculis exceptis, decoctionibus frequenter & sæpissimè fuisse adaptatas, mecumque totus miraberis, quòd putemus, eorum vires in decoctione, vel illa decoquendo, ubi majore ignis acrimoniâ tamen opus est, non exhalare, (uti revera non deperduntur,) easdem autem in destillatione, quæ calore minore peragitur, excipere à suis concretis, & destillationis beneficio exaltatas velimus, cùm quæ in coctione nihil virium evaporant, in destillatione minùs ex se dare possint. *Succorum enumeratorum*, præcipuè *Fragorum, Limonum, & Veronica*, è quibus Syrupi *addità dimidiâ parte Sacchari* decoquuntur, partes tres circiter eorum in Syrupi ad consistentiam decoctione ut evaporent necessum est, relictâ quartâ tantùm parte unà cum Saccharo in Syrupum confecto, Quòd si verò illa humiditas, (scilicet tres partes, relictâ tantùm parte quartâ,) quæ vaporetenùs exhalare debet, à succis dictis, & decoctionibus aliis plurimis & similibus speciebus vel ingredientibus paratis, eximiis virtutibus prædita esset, (uti fateri necessariò cogimur, si hujus & aliarum aquarum compositiones erroribus dictis non refertas existimamus,) profectò iniqui valdè sumus in proximum, dum tantam succorum & reliquorum decoctorum quantitatem inutiliter sæpiùs vaporetenùs decoquendo in auras

pellimus;

pellimus, & consequenter nec sanitati nec æri proximi ægroti parcimus; quippe natura rerum ad cujusvis imperantis citationem nullatenùs comparet, nec sese mox accommodat, ut nunc superiùs enumeratarum specierum vel simplicium virtutes si coquuntur, in residuo decocto impresso servet, mox verò iisdem leniter destillatis, efficaciam earum totam per Alembicum transmittat, quod paulò superiùs etiam impugnavi.

Res destillanda non semper parent nutui nostro.

Jam verò contrariorum eadem ratio esto, ubi *Aromata & quæcunque sulphureæ naturæ spiritu gaudent volatili*, decoctionibus imponuntur, quod quàm sæpè factum sit, ex plurimis patet. Liceat igitur dolere ob tam miserandas compositiones plurimis prorsus indignas, ut eruditorum Virorum oculos offendant, nec aliâ, quàm Vulcani luce dignissimas: Sic enim non tantùm Pharmacopœi in inutiles expensas inducuntur, sed etiam ægris ipsis, ac Medici studii tyronibus deplorandæ injuriæ imponitur, cum naturalium corporum, (quorum natura & constitutio non Aristotelicis argutiis, nec cerebralibus scribentium & describentium disputationibus eruitur, sed pyrotechnicâ analysi in Vulcani officinâ nudâ producitur in conspectum,) ignarus adhuc totus credat, non potuisse ab antiquis errores committi, adeòque malit sequi plures unus, cumque ipsis errare, quàm benigniter audire unum benè docentem, id quod rursum in plurium seductionem cedit & redundat.

Plures essent aquarum compositiones, similis censuræ summoperè indigæ, sed ne nauseam legenti moveamus, similem crambem sæpiùs decoquendo, multa intacta relinquimus, quæ ex præmissis haud difficilè peti possunt: Itaque extremam manum huic classi imponens, transeo ad classem decimam sextam, quæ de oleis coctis & expressis agit, in qua quidem pauca restant, quæ ulteriore correctione indigent; hoc solùm addere arbitratus sum, ut si *ex animalibus vivis, v. gr. Scorpionibus, Lumbricis, Lacertis*, vel similibus *olea* conficienda, ea violentioribus coctionibus non committantur, sed tantummodò in *oleis destinatis* emori & suffocari permittantur solâ insolatione in vitro benè clauso, aut digestione aliâ, ne *spiritus vivifici oleo* communicati diuturnâ & violenta coctione denuò exhalent & in auras pellantur. Item, si *carnes animalium oleo* incoquendæ sint, eæ illicò recenter mactatis animalibus, dum quid *de vivifico spiritu* adhuc participant, in frustula dissectæ *oleo* immergantur, & solâ digestione, vase benè ligato, ne quid exspirare possit, *oleum* conficiatur, ita enim *olea* majoribus viribus imbuta, ac si multum coquerentur, prostabunt. Oleum

Ad classem decimam sextam de oleis coctis.

Scor-

Scorpionum ſimplex Meſuæ parcam nimis recipit quantitatem *Scorpionum*, *XXX. enim Scorpiones ad libras duas olei* haud ſufficere mihi videntur, plures igitur, *centum vel ducentos Scorpiones circiter duabus libris olei Amygdalarum* ſi quis immergat, *efficacius oleum* ſibi comparabit. *Oleum Scorpionũ ſimplex pareũ nimis recipit numeriũ Scorpionũ.*

Oleum porrò Maſtichinum & ex Styrace, aliaque ex reſinoſis, & in oleo ſolubilibus gummatibus paranda olea, nullâ penitùs indigent coctione vel ebullitione, nevé *vinò affuſo* opus habent, cùm *& Maſtiche & Styrax* promptè *in oleo* liquefiant, & indiſſolubili nexu invicem uniantur; non igitur *vino* opus, quod ſaltem eorum unionem, ſcil. *Maſtichis & olei*, donec *vinum* penitùs exhalârit, impediat, imò unà in violentâ coctione *vinum* quod exhalat, ſecum rapiat ſubtiliores ac ſpirituoſiores *Maſtichis & Styracis* partes, quibus ut *oleum* poſtmodùm deſtituatur neceſſum eſt. *Oleum Maſtichinum & Styracis.*

Oleum Laurinum è numero expreſſorum eſt, ejus proin paraudi modus per diuturnam ſcilicet coctionem, ex malâ fortè informatione Diſpenſatorio inſertus eſt, relinquamus itaq; oleũ hoc parandum plebeis in Italia, qui explosâ hâc coctione, per expreſſionẽ illud æquè uti alia expreſſa olea conficere nôrunt. *Oleum Laurinum, quâ ratione paretur.*

TRanſeo ad claſſem decimam ſeptimam Unguentorum, in quâ perindè nonnulla annotanda reſtant, non quidem quoad dexteriores unguentorum præparationes, quàm quæ anteà in ſingulorum illorum Animadverſionibus dextrè traditæ ſunt, verùm quoad majorem Lectori informationem & plenariam de compoſitione & præparatione unguentorum dilucidationem: Ne autem fuſior hîc ſim, ea paucis & in genere perſtringam; Ac primùm in quibusdam unguentorum compoſitionibus *ſucci vegetabilium cum oleis* ad omnimodam humiditatis exhalationem coquendi præcipiuntur, uti in unguento de Alabaſtro & aliis, aſt hâc coctione ſive exhalatione *ſuccorum ab oleis*, non immeritò, nec ſine ratione reprobatâ, *ipſas herbas vel flores* competente pondere ſubſtituendas non abs re cenſeo: Etenim *ſucci ex herbis vel floribus, præſertim odoriferis & balſamicis expreſſi*, eandem cum *herbis ipſis vel floribus* non redolent fragrantiam; dubitari proin meritò poteſt, utrum *ſucci* integras cum *herbis* è quibus expreſſi, virtutes in ſe reconditas habeant, aut eosdem vel majores effectus, ac *ipſa herba vel flores in ſubſtantia* producere poſſint, præſertim ſi externè admovenda ſint. Contrarium ſuſtineo, ipſaque dictat ratio; nam *ſicca pars terreſtrior* ſua æquè ac *liquida ſubtilior* virtute gaudet, in genere roborantium & adſtringentium, ubi potiores virtutes *reſiduis ab* *Claſſis decima ſeptima de Unguentis.*

expreſſione

expressione plantis attribuendæ, quàm *succo ipsi ab iisdem expresso*. Porrò *succi vegetabilium* tanquam aquoti, nullo unquam *cum oleo consortio* connectuntur, ut vel centies invicem commixta, denuò naturâ suâ segregentur, nullâque omninò arte ita commisceri aut uniri possint per se ut per minima commixta maneant, undè nemo in eam opinionem descendat, aut sibi persuadeat, *succorum virtutes medicinales* in *olea* transmigrare, illisque dextrè communicari, quid? quod licet invicē, *olea scilicet & succi*, coquantur ad totalem *succorum & humiditatis* exhalationem, ut alias moris est, nihilominus evidens fit separatio *olei à succo exsiccato, picis nigræ instar fundo vasis adhærente*, nullâque arte *oleo* permiscibili, id quod indicio est, exiguum quid *oleo* fuisse *à succo* impertitum. Præterea nec *color plantarum aut florum*, (qui licet pro accidente habeatur, in quibusdam tamen oleis & unguentis summoperè expetitur, utpote in oleo Hypericonis, ruber, in unguento Populeo, viridis, &c.) *à succo* oleis & unguentis, loco *herbarum* adaptato, sperari potest, sed necessum est, ut *ipsi flores*, vel *herbæ contusæ*, aut minutim potiùs concisæ *oleo vel axungiæ* permisceantur. Imò & hoc notatu dignum est, in acquirendo vel potiùs imprimendo colore herbarum vel florum unguentis, ut *olea*, (si ex oleo & cerâ conficienda sunt unguenta,) *cera* *primùm* permisceantur, antequam *herbæ* vel *flores* illis infundantur, quò melius & colore & virtute *ab herbis & floribus* unguenta imbuantur: cujus monitionis ratio hæc est, quòd citiùs *axungia quædam*, utpotè *oleo solidior*, colore odore, & virtute cujusdam vegetabilis, fragrantis præsertim & sulphureæ naturæ, per infusionem aut coctionem imbibi possit quam *olea quæcunque*; sic *olea cerâ permixta*, solidiora evadunt, *axungiis* simillima, & consequenter ad extrahendos vel recipiendos colores & odores, nē dicam majores herbarum aut florum virtutes, aptiora multò sunt. Ob eandem etiam causam *olea summè odorifera*, utpotè, *Iasmini flor. Citri, Arantiorum florum*, &c. quæ aliundè ex Italia utplurimùm ad nos devehuntur, cum *oleis puris vel liquidis* confici haud possunt, sed requiritur ut *Amygdalæ*, vel quod melius, *baccæ Ben* sæpiùs cum *floribus supradictis*, stratificentur, *à quibus baccis* vel *amygdalis*, odore & virtute florum sat sufficienterque imbutis, *olea tandem fragrantissima* exprimuntur. Est & hoc Profumatoribus Italis, uti appellari consuevêre, solemne, ut si *baccas Ben* in promptuario non reperiant, nec *Amygdalas* tamen adhibere desiderent, pro *similium olearum gratum odorem spirantium* confectione, cum *oleo de Ben Gossypium* humectent, quo *Gossypio & floribus odoriferis* stratum super stra-

Succi expressi cum oleis nunquam verè permiscentur.

Præstat herbas concisas cum oleis digerere, quàm succos expressos cum iisdem coquere.

Baccæ Ben aptum sunt receptaculum odoris & suavedolentiæ ex odoratis concipiendæ.

sum aliquoties, semper *recentes flores*, rejectis prioribus, substituendo faciant, atque ita *oleum denuò jam summè fragrans ex Gossypio illo* exprimant, ad multos annos durabile: nam *oleum de Ben* hoc præ cæteris oleis virtutis habet, ut ad multos annos incorruptè perstet, nec rancorem, situm, aut odorem fœtidum ingratumque contrahat; cùm & per se omni odore careat, neque etiam prout *reliqua olea expressa ferè omnia, ùt & quædam destillata*, viscidum & crassum evadat. Quibus experimentis liquidò constat, *olea per se* ob eorum lentorem non apta esse menstrua ad eliciendos odores, colores, & virtutes *ex vegetabilibus*, prout alibi etiam monui, tantoque minus, si non *ipsa vegetabilia herba vel flores* cùm totâ suâ substantiâ, sed *succi eorum expressi* saltem *oleis* addantur, & ad omnimodam humiditatis, & succi liquidioris exhalationem invicem coquantur. Proindè etiam in præparatione unguenti de Alabastro, quod ansam mihi præbuit, ut hæc scitu necessaria admonerem, illa observanda sunt, & ut evidens exemplum habeamus, sequens modus edocebit.

UNGUENTUM DE ALABASTRO.

Recip. *Olei simplicis Olivarum puri recentis & non rancidi libram unam semis,*
Ceræ citrinæ & novæ oderatæ uncias octo circiter, plus minusvè, prout liquidum vel solidum unguentum desideras.

Quibus simul leniſſimo igne liquatis immerge sequentia, minutissimè concisa, utpote

Florum Rosarum Damascen. recent. uncias quatuor,
Chamomillæ recent. uncias quinque,
Herb. recent. Rutæ viridiss.
Betonicæ virid. ana uncias quatuor.

Et si libet *radici Altheæ* tanquam incongruæ huic unguento substituatur

Herb. recent. Majoranæ, vel etiam
Flor. recent. Sambuci uncias quatuor,

Digerantur in loco tepente septimanâ unâ vel alterâ, factâ pòst unicâ ebullitione, in Alembico, si lubet, suo capitello munito, (ut ea quæ transit humiditas fragrans, residuo expresso restitui & reaffundi possit,) exprimantur, unguento expresso

Eandem dictorum florum & herbarum quantitatem

Immerge, leniſſimo tepore digere, ac factâ denuò in Alembico unicâ ebullitione, cum reaffusione particulæ humiditatis quæ transiit unguento expresso, soletur, exprimanturque herbæ & flores, expresso adde

Pulv.

Pulv. lapid. Alabastri puri & subtiliss. triti unciæ quatuor.

Fiat continuâ agitatione pistillo ligneo donec refrixerint unguentũ nobile capitale, cujus drachma una majores vires, quàm integra uncia simpliciter parati, de se spondebit & profundet.

Nota: poterit, si cui volupe fuerit, *lapis prædictus Alabastri*, antequam huic unguento admisceatur, cum *succo aliquo ingredientium herbarum*, aut etiam cum *succo Solani* aliquoties imprægnari & denuò exsiccari, pro majore virtute unguento conciliandâ; ita enim *succus is veluti inspissatus* & cum *Alabastro* exsiccatus, unguento per minima commisceri, ac suas exserere vires potis est.

Porrò in quibusdam unguentorum compositionibus *diversa vegetabilia* uni eædemque infusioni & coctioni destinata sunt, nullâ habitâ consideratione, quæ vel sulphureæ balsamicæ aut terrestrioris sint naturæ, quippe quæ diversimodè, quòd sæpè in aliis medicamentorum compositionibus admonui, tractari velint; Illorum enim virtus, utpotè *quæ balsamicæ naturæ sunt*, quod ex odore utplurimùm percipitur, levi coctione exhalant, & in auras pelluntur, remanente parte terrestriore, affectibus quibus destinatur planè inutili: *Horum* verò scilicet *terrestriorum vegetabilium* efficacia integra, diu licet multumque decoquantur, semper in residuo manet; proindè veræ rationi consonum est, ut dum in unguentorum compositionibus tàm diversa vegetabilia etiam consarcinantur, ea perindè dextrè tractanda & distinguenda sint, ne parte penetrantiore & subtiliore depulsâ, putamina veluti, nobis relinquantur, abjectis nucleis, & unguenta potiorum ingredientium virtute subtiliore balsamicâ destituta, & Medicum & ægrum fallant. Exemplo perindè nobis sint diversa hujus classis unguenta, utpotè Aregon Nicolai, Viride Reginæ, &c. quæ diversas & planè contrarias recipiunt plantas, *calefacientes, refrigerantes, humectantes, exsiccantes, adstringentes, laxantes, &c.* de quarum qualitatum combinatione merito quis quæstionem instituere posset, quâ ratione illis affectibus ex materiâ frigidâ ortum ducentibus, quibus utplurimùm destinantur si Authoribus habenda fides, conducere possint: Verùm cùm & nunc mei instituti non sit, propriè de qualitatibus sive primis, sive secundis plantarum, ac per consequens de incongruâ illarum conglomeratione multa differere, maneo in concepto propositio, nimirùm quô modô hæc prædicta unguenta legitimè conficiendâ sint, ne, cùm aliàs *herbæ odoriferæ, balsamico spiritu & oleo gaudentes*, plurimis *aliis refrigerantibus* plantis obtundantur, & insuper multum decoctæ, *balsamicæ earum*

Labor mihi non de qualitatum & effectuum combinatione, sed de unguentorum præparatione artificiosâ & legitimâ.

earum vis tota penitùs exſpiret, ſed unà cum unguento remaneat, tanquam ſummoperè expetita: Proindè in prædictorum unguentorum legitimâ præparatione, *ingredientia ſive ſpecies eorum* diſtinxi, & quæ *terreſtrioris naturæ*, quorum vis nimirum in adſtrictione & roboratione conſiſtit, primæ infuſioni & decoctioni deſtinavi, quippe quòd diuturnam decoctionem ex naturâ ſuâ ferre poſſunt ſine virium jacturâ; quæ verò *naturæ ſulphureæ & balſamicæ*, quorum vis præcipua promptè exhalat, leniter etiam decoctorum, ſecundæ infuſioni adaptavi: Primam infuſionem coctione ad omnimodam ferè humiditatis rerum ingredientium exhalationem abſolvi, ſecundùm ſolâ digeſtione aut maceratione, vel etiam levi ebullitione in Alembico vitreo, ut quæ ebulliendo exhalat fragrans humiditas, denuò unguento tanquam potior efficacia eorum reſtitui poſſit, ne ullarum rerum aut virtutum fiat deperditio, ſed cuncta ſarta tectaque in compoſito conſerventur.

Claſſis decima octava & decima nona de emplaſtris & ceratis.

SEquuntur nunc emplaſtra & cerata, unguentis paratu difficiliora, proindè artificio elegantiore opus habentia, quibus tamen eædem obſervationes, quæ unguentis jam dum adjectæ ſunt, accommodari poſſunt, non intermiſſis operis manualibus aliis, quæ in ſingulis emplaſtrorum & ceratorum præparationibus in præmiſſis fideliter manifeſtavi. Etenim ſi quis antiquas compoſitiones, adjectaſque earum præparationes per tranſennam ſaltem inſpexerit, reipſâ deprehendet, ea partim paratu difficillima, partim impoſſibilia eſſe. Et quantumvis nonnulli Medicorum ſuo officio ſatisfeciſſe arbitrentur, ſcribendo, *fiat ſecundum artem*, conſiderare tamen vel maximè hîc tenerentur ſuam authoritatem, nec ita miniſtris pharmacopœis proſtituere illam, quaſi Juſtinianus codex jubeat, mandetque apothecariis, præſcriptiones Medicorum emendare, vel commiſſos in compoſitione errores, præparatione dexteriori corrigere: Ideircò in hâc re ſummò neceſſaria, (ubi quot capita, tot ſenſus, ita etiam tot diverſæ præparationes à Pharmacopœis quibusdam, non omnibus certè perindè doctis, in ſimilibus erroneis compoſitionibus & adjectis præparationibus inſtitutæ ſunt,) non iniquè fecero, experientiâ non levi inſtructus, ſi tandem aliquandò non ſolùm errores, larvâ detectâ compoſitionibus, in lucem protulero, verùm etiam ſaniore modo compoſitiones & ingredientia in ordinem redegero, atque dexterrimo & facillimo modo illarum præparationes inſtituero: Hæc mea inſtituta in hâc claſſe emplaſtrorum, tum etiam ceratorũ, non minus quàm in aliis claſſibus proſecutus ſum; in tantum enim

Non benè nec tutò ſemper cõmittitur Pharmacopœis jus parandi formulas Medicorum ſ. h. a.

ordinem, erroribus priùs lucidissimè detectis, compositiones plurimas emplastrorum inordinatissimè conscriptas, & vel principio & fine, omniquè componendi & præparandi ratione carentes, redegi, ut & juniores Medici non solùm in componendis vel præscribendis similium emplastrorum compositionibus, verùm & pharmacopœi, eorumque ministri in præparatione certam normam habeant, quam securè sequi possint. Enimverò cùm in plurimis emplastrorum præscriptis formulis, uti dictum, nec ordo, nec legitima præparandi ratio observata additaque sit, & vel cuncta pharmacopœorum dubioso & differenti arbitrio commissa sint, utpotè in emplastris, Apostolico Nicolai, Catagmatico seu ad fracturam ossium Renodæi, Ceroneo Nicolai, Diachylo magno, & omnium maximè de Ranis cum Mercurio, multisque aliis emplastris & ceratis, proindè ingredientia hæc emplastra, homogeneis ab heterogeneis separatis, in certas classes, prout vera & artificiosa præparandi ratio postulat, distinxi, interpositis autem singulis classibus veris præparandi modis, secundùm naturam homogeneorum, & heterogeneorum, (quæ non nisi experientiâ longâ ac insuper veris physicis rationibus cognosci possunt,) ita ut nunc vel leviter instructo artifici pharmacopœo, paratu aliàs difficillima emplastra, facillima sint, lege artis diligenter conscripta, quæ cùm abundè sufficiant, plura his duabus classibus superaddere haud necessarium duxi. Igitur ad classem ultimam, de præparationibus quorundam simplicium, transitum paro, in qua præter alia, quæ jam tum in ejusdem Animadversionibus allata sunt, pauca adhuc annotare consultum visum est: Nimirùm, plurima sunt in hàc classe subjecta vel simplicia in medium producta, quibus ad instar ceræ, cui sigilla, ita & illis aliarum simplicium salubrium virtutes facillimè imprimi possunt, rebus præsertim siccioribus, utpotè *Agarico*, *Aloë*, *Bolo*, *Armena & similibus*, è quibus sanè egregia medicamenta forent paranda.

De Præparatis, classis vigesima & ultima.

Agarici præparatio.

Sit igitur *Agaricus* primum subjectum, quod aliàs capiti & cerebro expurgando dicatum est, quippe qui sive in Trochiscos sive in aliam aliquam massam efformandus, commodissimè non *infusione Zinziberis*, sed *vel decoctis*, vel *succis aliis capiti & cerebro* expurgando destinatis, sæpiùs insuccari, & denuò leniter exsiccari poterit; per se enim haud ita efficax est, ut etiã drachma una ejusdem intra corpus sumpta, (nauseabundè ob levitatem & quantitatem, cùm in molem magnam consurgat, sapore insuper sit amaro ingratoque,) parùm operetur, idcircò cum decocto aliquo, sive *radicum Asari*, sive *Mercurialis*, sæpiùs imbui, & denuò exsiccari poterit. Modus sit talis:

Recip.

Recip. *Rad. Aſari libram ſemis*,

Conciſæ coquantur in *ſ. q. aquæ fontis vel fluminis*, repetitis vicibus affuſæ, ad totalem virturum prolectionem, decoctiones omnes colatæ & clarificatæ ad libram unam vel alteram leniter evaporent, cum quo reſiduo

Agarici albiſſimi radulâ comminuti libra una plus minusvè,

Inſuccari, denuoque exſiccari, & in Trochiſcos efformari poterit, ſpreto colore albicante, qui aliàs in trochiſcato Agarico deſideratur, quùm efficacia colori meritò ſit præferenda. Si verò cuipiam *Aſarum* non arriſerit, is *alio ſimplici cathartico*, pro morborum cauſis eandem præparationem moliri poterit, atque ita, quod ab Agarico ſperare jubent, multo fœnore adipiſcemur, & exoptato potiemur ſucceſſu.

Ad eundem modum *Aloë, ſive Succotrina, ſive Epatica* illa ſit, in viribus ſuis, & ſecundùm intentionem cujuscunque Medici, non ſolùm *infuſione Roſarum aut Violarum*, ſed *decoctis quibuscunque cathartics*, unicuique morbo ſingulariter appropriatis aut contrariis inſuccari poterit, nimirùm ad Melancholiam Hypochondriacam, *decocto Hellebori & Foliorum Sennæ*: ad Hydropem Aſcitem, *decocto vel ſucco Cucumis: Aſinini, radicum Ebuli, cort. median. Sambuci, Galappæ & Mechoacæ eſſentia cum ſpiritu vini ob reſinoſam eorum ſubſtantiam extracta; ſucco Mercurialis; ſucco vel decocto Aſari* pro febribus quotidianis aut quartanis; pro capite & cerebro expurgando, *eſſentiâ Agarici* item *decocto Aſari*, &c. Porrò & *rerum aromaticalium* viribus pro corroboratione ventriculi & capitis, ipſa inebriari poteſt, verùm alio modo quàm in pilulis Aloëphanginis præcepére, ubi ſpirituoſa & aromatica vis tota, peſſimâ illâ inſolatione diuturnâ penitùs tollitur & annihilatur: Quâ ratione autem illud in effectum dare liceat, ne parte balſamicâ aromatum depulſâ, eorum efœto & inutili decocto nos ſaturemus, habes Lector amice dexterrimum modum in præmiſſis noſtris Animadverſionibus ſuper dictas pilulas Aloëphanginas, quem imitari in facili eſt. Quòd ſi verò aliam formulam exoptares, en! ſubdo ſequentem:

Recip. *Rad. Aſari uncias duas*,
Calami aromat.
Galangæ ana unicam unam,
Abſinthii noſtratis,
Menthæ odoratæ ana drachmas ſex,

Coquantur in *ſ. q. Aquæ* repetitis vicibus, ad omnimodam virtutum prolectionem, decocto add:

Aloës

Aloës præparatio.

Aloës succotrinæ uncias sex,

Vel si mavis loco ejus,

Aloës Epaticæ tantundem,

Et leniter evaporare sinito ad siccitatem ferè pristinam, postea accipe

Ligni Aloës gummosi unicam unam,

Et cùm s. q. spiritus vini extrahatur essentia ejus resinosa, quâ cum diluantur

Pulv. Croci Austriaci drachmas tres,
Myrrhæ rubræ uncia una,
Mastichis drachmas sex,

Et prædictæ Aloë insuccatæ jungantur, iterumque ad siccitatem ferè leniter exsiccari sinito, massæ huic tandem junge

Pul. nuc. Moschat.
Cardamomi,
Macis ana drachmas tres,
Ol. Still. Cinamomi,
Caryophillorum ana scrupulos duos,
Absinthii,
Mentæ ana scrupulum unum,
Macis,
Cubebarum ana drachmam semis,
Balsami Indici de Peru drachmas duas,

Fiat ex omnibus exactè permixtis massa pilularum justæ consistentiæ.

Plura addere in facili esset, verùm hæc *de Aloë* mihi sufficere videntur, cùm quilibet prudens Medicus, cui regiones, anni tempora, & ægrorum temperamenta perspecta sunt, sua medicamina facilè eo dirigere possit.

Millepedus seu Asellorum præparatio.

Millepedes seu Aselli cum *vino myrrhato* aut cum *vino in quo Petroselinum, Apium, Saxifragia, Ruta muraria*, aut simile quoddam diureticum maceratum fuerit, cùm pro diuturniore conservatione, tùm majore virium imprægnatione præparari queunt, modo tali:

Recip. *Vini albi generosi libras duas,*
Cui immergantur
Myrrhæ rub. uncia una,
Rad. Apii,
Cichorii,
Petroselini ana drachmas sex,
Sem. Anethi drachmas tres,
Tartari albi Veneti uncia una,

Digerantur die unâ vel alterâ colaturæ, post adde

Asellorum libram semis,

Et

Et in vitreo vase unà exsiccentur calore leni, sive in M. B. serventurque usui.

Nota: si fortè nonnemo *solo sale* eos condire voluerit, cùm animalia sint, licet imperfecta, is *sale marino vel gemmæ*, aut etiam *sale urinæ fixato*, eos conspergat, addito insuper *vino myrrhato*, quò perfectiùs uniantur.

Bolus Armena quâ ratione is legitimè præparandus, ejus præmissæ Animadversiones exactè indigitant, verùm cùm pueris Alexipharmacis præparationem ejus molitus fuerim, præstat, ut ad alios affectus nunc perindè illum accommodemus aut efficacem reddamus, utpote ad sistendum fluxum sanguinis, ad sanguinem internum à contusione vel lapsu coagulatum, ad casum, Dysenteriam, Diarrhæam, vulnera item interna: Et quidem ad sistendum fluxum sanguinis tali modo: *Boli Armenæ præparatio.*

BOLUS ARMENA PROSISTENDO FLUXU SANGUINIS NIMIO sive Hæmorrhagiæ.

Recip. *Rosarum recent. rubearum libram semis*,
Rad. recent. Cichorii flore albo, uncias quinque,
Papav. errat. uncias duas,

Fiat cum *aquâ simplici* decoctio repetita, quoad omnes vires prædictarum specierum excoctæ sint, *decoctionibus colatis & clarificatis* adde

Succi Semper vivi majoris,
Endiviæ,
Lactucæ ana uncias quatuor,

Cum his mixtis & unitis liquoribus irroretur sæpiùs,

Boli Armenæ libra semis,

Et denuò in leni calore exsiccetur, ut in pulverē redigi queat.

VEL

Irroretur sæpiùs Bolus Armenas cum *decocto forti Cancrorum fluviatilium*, vel etiam *spermate Ranarum*, *spontè resoluto*, *& per linteum saccum transfluxo*, utpote

Recip. *Spermatis Ranarū mense Martio suffic. quantitatē*

Quod imponatur sacculo linteo & spōtè trāsfluere permitte.

Huic aquæ libris duabus junge
Aluminis puri, vel si mavis
Nitri puriss. crystall. unciam unam vel alteram,
cum qua aqua
Boli Armenæ libra semis,

Irroretur sæpiùs, & denuò totaliter exsiccetur, ut in pulverem redigi queat, servetur.

BOLUS ARMENAS AD SANGUINEM INTERNE COAGULATUM.

Recip. *Radic. Apij,*
Acetosæ,
Plantaginis ana unc. unam,
Herb. Card. Mariæ,
Chærefolij ana recent. uncias duas,
Sanguisorbæ uncias unam.

Incisa coquantur in *ſ. q. aquæ ſimpl.* repetitis vicibus, quoad vires omnes excoctæ sint, cum colaturis ad libram unam circiter exhalatis irroretur sæpius,

Bolis Armenæ libra ſemis
& exiccetur.

BOLUS ARMENAS ADDYSENTERIAM, ET IMMODICAM Diarrhæam.

Recip. *Rad. Biſtortæ,*
Acetoſæ,
Cynogloſſæ,
Lapathi acuti,
Plantaginis,
Tormentillæ ana uncias unam,
Herb recent. Plantag. min.
Millefolii,
Pyrolæ,
Flor. recent. Quercûs ana manip. duos,

Incisa coquantur cum *ſ. q. aquæ ſimplicis* repetitis vicibus, cum *decocto clarificato & ad libram unam abſtracto circiter*
Bolis Armenæ libra ſemis,
Sæpiùs irroretur, & denuò exsiccetur pro usu.

Nota: Qui eandem Bolum Armenam virtute *unius vegetabilis*, v. gr. *Scordii, Rutæ, Myrrhæ, radicum Contrayervæ, Anthoræ, Biſtortæ, Citri corticum*, &c. imprægnare voluerit, is facilè ad eundem, quem præcepi modum, illud assequi poterit.

Cauterium. De Canterio nobili ex *Cineribus fraxini*, hoc insuper notandum venit, nimirùm quòd cinis is recenter combustus, (nam paucis saltem diebus vigorem servat,) illicò nodulo minimè inclusus ad magnitudinem Ciceris, pauliſper salivâ saltem maleſactus, pro fonticulis excitandis, ad debitum locum applicari debet. Pro confectione Magisterii lapidis Lazuli ſeu Ultramarini alium adhuc modum priori dexteriorem subnectere libet, qui talis:

Magiſterium lapidis Lazuli ſeu Ultramarini.

Recip.

Recip. *Ceræ flavæ & novæ,*
Picis Hispanicæ,
Olei Lini,
Olei Picis, (Italicè oglio di pece, est instar Terebinthinæ liquidissimæ,)
Resinæ Pini, (Italicè pegola crassa, ò vero Rasa di Pino)
Mastichis opt. unciæ tres.

Misceãtur omnia, & coquãtur in patella lento igne, horâ unâ circiter, ut fiat massa tenax, coletur pòst per linũ & qualum, malaxaturq; opt. & diu, ac in aqua frigida posteà asservetur. Jam

Lævigetur *lapis Lazuli cæruleus & purus*, super prophyrite, cum *aquâ simplici*, subtilissimè, (nam nisi subtilissimè & diu lævigetur, vix ad optatum succedit præparatio,) *hujus lapidis subtilissimè lævigati, exsiccati, in q; pulverẽ redacti, & massæ descriptæ superioris ana partes æquales*, malaxando manibus optimè uniantur sine igne, relinquanturque aliquot septimanis, (quò diutiùs, eò meliùs,) aquæ frigidæ immersa, posteà cũ aquâ tepidâ inter initia, ultimò semper calidiore, manibus massam malaxando, eluatur *pulvis cæruleus impalpabilis pulcher, Ultramarinum dictus.* Notetur autem, quòd qui primò eluitur pulvis sit elegantior in colore secundô, & hic tertiò, ac sic consequenter, propterea singuli sæparatim asservandi.

Plures quæ supersunt in hac classe simplicium præparationes, eæ ab erroribus vindicatæ suis Animadversionibus gaudent, quæ Lectori diligenti abundè sufficient.

Ad Mantissam Appendix.

Transeo ad Mantissam, quæ ipsa etiam sua peculiaria medicamenta chymicè parata continet, tredecim classibus distincta, quarum prima de Spiritibus simplicibus: Secunda de spiritibus compositis: Tertia de Elixiriis: Quarta de Essentiis: Quinta de Tincturis: Sexta de Oleis destillatis: Septima de Balsamis simplicibus: Octava de Balsamis compositis: Nona de Fœculis: Decima de Magisteriis: Undecima de salibus: Duodecima de Floribus: Decima tertia de Crocis, Vitris & Pulveribus aliis chymicè paratis, item Chrystallo Tartari, & Cornu Cervi Philosophicè calcinato agit.

Spiritus simplices.

Quod spiritus simplices spectat, eorum dexterrimos destillandi modos præmissæ nostræ Animadversiones luculenter commonstrant & edocent, lubet nihilominus in gratiam grati & benevoli Lectoris unum atque alterum spiritum medicinalem superaddere: Memini me mentionem facere quodque pag. 448. ænigmaticè insinuavi; hoc inquam mentruum quanquam jubebat malignorum ingratissimorumque cucullo-

cuculorum canina invidia, inter secretiora arcanorum scrinia tantisper abditum ulteriore adhuc tempore captivum detinere, nec tam citò in meridianam lucem emittere: dum tamen omnem vindictam ingratitudinis & odii, undeundè mihi pro benefactis injuriosè illati, DEO relinquendam, (qui omnia tempore, modo, pro meritis novit compensare,) suadet rectè factorum conscientia, ut bonitati publicæ rem præstem gratam; spiritum prænominatum publici juris faciam, cui magna remediorum pars, tanquam columnæ non exiguæ innitetur, & fit hunc in sequentem modum:

Recip. *Æris viridis opt. quantum placet.*

Spiritus Veneris. Quod contusum immittatur Alembico vitreo, cui superaffundatur *acetum destillatum* ad digitorum aliquot transversorum supereminentiam, factâque digestione aliquâ effundatur *acetum tinctum* per inclinationem, *aliudque* superaffundatur, digeratur, & per decantationem separetur, hoc toties repetendum, donec *acetum* non amplius tingatur, & ferè tota *æris viridis* substantia dissoluta sit, impuritatibus in fundo Alembici vel filtro remanentibus: Solutiones omnes decantatæ & filtratæ in Alembico abstrahantur, (sive in patellâ cupreâ per lenem coctionem, quia vitrea vasa, ob sulphur proprium, quod fundum petit Alembici, utplurimùm rumpuntur,) ad cuticulam apparentem, & in loco frigido crystallizari permitte, *Chrystallos* refrigeratis omnibus, ab *adhærente liquore separatos*, excipe, leni in calore sicca; *residuum à Crystallis liquorem jam effusum*, denuò paulisper abstrahe, Crystallosque collige, quoad totum ferè in Crystallos abierit, qui *flores æris* dici consuevêre.

Porrò *Crystallis his* sive *floribus æris*, Alembico vitreo immissis, superfunde *spiritus vini rectificati q. s.* ad supereminentiam trium vel quatuor digitorum transversorum, eumque bis tervé, pro majore volatilisatione & imprægnatione, ab iis destillando abstrahe. *Hos Crystallos* tandem in pulverem redactos indè retortæ vitreæ lutatæ vel loricatæ, & igne aperto, ast leni, destilla per gradus, quoad *totus spiritus* prolectus sit, qui in Alembico vitreo per arenam probè rectificandus.

Hic laudatissimus spiritus in medicina non solùm magnarum virium est, cùm Epilepticis, Apoplecticis, Hystericis, Hypochondriacis summè opituletur legitimè & debitè exhibitus, verùm etiam tanquam *acetum esurinum & liquor Alkahest* (de quo tanta ubivis terrarum miracula deprædicantur) se habet; solvit *Perlas* integrè illi injectas blandè, *Coralliа item, oculos Cancrorum*, & plura alia, non ut *reliqui spiritus acidi & corrosivi*, qui solvendo & agendo, reactione

reactione ſolvendorum patiuntur, & vel totaliter deſtruuntur, inque aliud ens convertuntur, ac indiſſolubili nexu cum *ſolutis Perlis*, ſive *Coralliis* ſeſe uniunt inſeparabiliter, ſed amicè tanquam eorum familiaris, non autem deſtructor adhibetur, utpotè à quibus deſtillando eâdem virtute & acrimoniâ ferè, quâ affuſus, abſtrahi, adque conſimiles uſus adaprari poteſt. Nolim tamen ego aſſeverare, quòd penitùs impermutabilis, aut indè ſtructibilis ſit hic ſpiritus; ſolet enim crebrioribus ſolutionibus adaptatus nonnihil debilitari, viresque ſuas quodammodò amittere. Præterea extractionibus quorundam mineraliuin protincturis, is idem ſpiritus præ reliquis omnibus menſtruis magnam prærogativam habet, uti ſuo loco ſequetur, quando de tincturis quibusdam mentionem facturus ſum: Et ut ſummatim dicam, tanquam expertus in multis affectibus, qui Herculea etiam remedia rident & contemnunt, ad hunc ſpiritum tanquam aſylum, ſi quis accurrerit, medicamentum reperiet quovis pretio redimendum. Hoc fruere Lector amice ſecreto, & favore mei pro fideli communicatione benevolè perſevera.

Suppeditat experientia noſtra alios duos ſpiritus, ſibi tamen invicem contrarios, quorum unus acidus, alter ſalſus, ſolâ admixtarum rerum varietate, ex uno ſubjecto, ſale nimirum Armeniaco deſtillando producendi, horum præparationes ſunt ſequentes:

SPIRITUS SALIS ARMENIACI ACIDUS.

Recip. *Salis Armeniaci puri libram unam*,
Frumenti vel tritici libras duas vel tres,

In pulverem redacta ambo, immittantur benè commixta Alembico vitreo (loricato, uti loquuntur Chymici, vel luto obducto,) ſuo capitello amplo, proboſcidem largam etiam habente, munito, qui collocetur in furnum ſupra ignem apertum ſ. a. præpoſitoque recipiente amplo, deſtilletur per gradus ignis, *phlegma & ſpiritus*, ultimò extremâ ferè ignis violentiâ urgendo, ſic potior pars *ſalis Armeniaci reſidui, & nondum in ſpiritum reſoluti* ad capitellum ſublimatur, inque excipulum particula ejusdem unà cum ſpiritu etiam tranſit; refrigeratis omnibus eximatur *ſpiritus*, & in Alembico vitreo, phlegmate prius leniter abſtracto, quousque acidæ guttulæ tranſeunt, totaliter rectificetur; relictum in Alembico *ſal nigrinas, cum aquâ ſimplici* ſolvendum, filtrandum, & ad ſiccitatem ſalis albiſſimi in vitreo vaſe abſtrahendum eſt; *hujus*

Spiritus ſalis Armeniaci acidus.

ſalis uncia una vel altera, libra uni ſpiritûs ejuſdem acidi rectificati uniri poterit, & ſic legitimè ac debitè *acuatus ſpiritus*, in operationibus præſtantior & nobilior exiſtet. *Reliquum verò ſal & quod ad capitellum ſublimatum eſt*, ab impuritatibus & nigredine per ſolutionem & filtrationem uti artis eſt, liberatum, porrò *recente frumento vel tritico* permiſtum, denuò in ſpiritum deſtillari poteſt, uti priùs: atque hæc quoad genuinam ejus præparationem. Quoad virtutes, magnarum hic ſpiritus virium eſt in obſtructionibus lienis, hepatis, meſenterii, &c. In febribus cùm continuis, tùm intermittentibus, Colicâ paſſione, Nephritide, & ad plures alios humani corporis affectus, qui ab obſtructione aliquâ ortum ducunt, cum prudens Medicus adhibere nôrit, licet non impensè illum collaudem.

Sequitur nunc ejuſdem Salis Armeniaci Spiritus Salſus priori contrarius, cûjus præparatio talis, utpotè

SPIRITUS SALIS ARMENIACI SALSUS.

Recip. *Salis Armeniaci puri libram unam,*
Salis Tartari tantundem.

Spiritus ſalis Armeniaci ſalſus.

Mixta confeſtim immittantur retortæ, proboſcidem largam habenti, & præpoſito recipiente deſtilletur per arenam leniter, igne ultimò paululiſper aucto, & tranſibit ſpiritus unà cum *ſale volatili, odore, ſapore & ſubſtantiâ, ad inſtar ſpiritûs & ſalis urinæ volatilis.* Refrigeratis omnibus ſal & ſpiritus ab invicem ſeparandi; aut, addito aliquo liquore ſal volatile ſolvendum, & liquore tenùs ad inſtar ſpiritûs aſſervandum eſt; vel totum, quod deſtillando tranſiit, per phialam oblongam in ſal volatile ſublimetur, & in formâ ſiccâ cuſtodiatur. Præſtans remedium utrumque eſt, ſive ſal ſiccum, ſive ſpiritum liquidum adeptus ſis: à putredine conſervat, fermenta acida omnia extinguit, Hyſtericis paſſionibus, Epilepticis, Apoplecticis & Suffocationi matricis medetur, quandoque ſolo odore penetrabili, ac ſummâ volatilitate præſtans exiſtit. Et cùm putredinem ſummoperè abarceat, Peſtis verò venenum ſit putredinale, quis ſpiritum hunc vel ipſum etiam ſal volatile in hoc diro morbo, nulli hominum generi parcenti, ab uſu quotidiano proſcribere audeat, uti & ſpiritum urinæ, qui ſponte ſuâ ſublimatur, naresque ferit. Quæ plura medicamenta ex hoc ſale ſive ſpiritu, vel etiam ex ſpiritu & ſale volatili urinæ, quâdam metamorphoſi paranda ſint, ea ſuo competente loco de ſalibus tractaturus ſum.

Hi ambo ſpiritus edocti ex ſale Armeniaco, acidus & ſalſus, ex uno ſubjecto licet producti, ſibi invicem tamen contrarii


ſunt,

sunt, ac ambo juncti, sese mutuò destruunt, & in aliud esse convertuntur: propterea pharmacopœi salsa & acida distinguere sciant necessum est, ne spiritum hunc salsum pro acido, & viceversa acidum pro salso substituant, inter quos haud minima est differentia.

SPIRITUS SALIS NITRI.

Spiritus Salis Nitri, quâ ratione legitimè destillandus, ut intra corpus, tanquam summum aperiens tutò sumi possit, en! cape modum sequentem:

Recip. *Salis Nitri opt. & puri libras duas vel tres,*
Testarum nondum crematarũ, (vulgò Scherben von imgebrandten Töpfen oder Hafen/ *libras quatuor vel sex.*



In pulverem redacta misceantur, immittanturque retortæ vitreæ loricatæ cum largissimo collo, (enimverò observavi, quòd quò largius collum retortæ sit, circa ejus ventrem præcipuè, eò feliciùs succedat operatio vel destillatio, & rubicundior proliciatur spiritus, vel etiam Alembico vitrio optimè lutato & capitello amplo cum largissimo collo munito, fiatque præposito recipiente capacissimo, destillatio ut artis est igne aperto, inter initia autem lenissimo, donec *phlegma* prolectum sit, & vas recipiens rubescere incipiat, tum mutetur vas recipiens vel idipsum evacuetur & eluatur, quò *spiritus rubicundi* seorsim excipi possint, continuetur destillatio igne tandem violentissimo, donec omnes *spiritus* prolecti sint, & *nulla guttula flava vel rubra* amplius perspiciantur, & vas recipiens ex parte rubedinem amiserit, (nam totaliter clarum haud redditur, etiamsi vel septimanâ integrâ retortæ allutatum relinqueretur, ignisque continuò admoveretur,) tum statim amoveatur vas recipiens *cum spiritibus summè volatilibus* ne retrocedant: Caveat autem sibi qui è recipiente *spiritus hos* in aliud vitrũ effundit, ne *à spiritibus hisce summè volatilibus, nebulæ crassissimæ ad instar effumantibus*, & copiosè veluti deglutitis suffocetur, vel spiritus ipsos effundat aut dissipet, cerebrum insuper ac pulmones haud parùm lædendo. Serventur tandem *hi spiritus* in vitro forti, cerâ opt. munito, ne exspirent, eruntque coloris rubicundi, si debitè & modo præscripto operatus fueris.

Hic spiritus Nitri æquè in medicinâ ac in operationibus chymicis, eximiis suis pollet virtutibus, aurum autem non attingit; ut autem illud suaviter solvat, & veluti in butyrum convertat, ulteriùs elaboretur modo sequenti:

Recip.

Aqua Regia vera.

Recip. *Spiritus rubicundi Nitri uncias sex,*
Salis Gemmæ uncias quatuor.

Sal Gemmæ prius contusum retortæ vitreæ imponatur, cui superaffundatur *spiritus dictus*, & mixta benè per arenam in vas recipiens amplum per retortam destillentur ad siccitatem *salis gemmæ*, servetur post in vitro forti benè clauso. Hæc est vera & genuina *aqua Regia*, quâ *Aurum* ad quosvis labores chymicos solvi potest suaviter. Ut autem præfatus *spiritus Nitri* ad usum internum exactiùs elaboretur, præsertim doloribus colicis sedandis, & obstructionibus pertinacioribus aperiendis, hunc sequere modum:

Spiritus Nitri circulatus.

Recip. *Spiritus Nitri rubicundi uncias duas,*
Aquæ Melissæ uncias quatuor,
Spiritus Fragorum unciam unam,

Mixta immittantur in phialam largam & altam, digerantur leniissimo in calore, phialâ benè clausâ, per septimanam circiter, servetur pòst usui, qui in affectibus colicis & obstructionibus præstantissimum est remedium, à drachma semis & amplius pro dosi propinatum.

Nota: In destillatione *spiritus Nitri cum sale Gemmæ* pro aqua Regia hoc observandum est, quòd præfatorum magna quantitas simul & semel rectificationi vel destillationi non sit committenda, ob impetuosam eorum spirituositatem, propterea nec arctè nimis junctura recipientis claudendæ; secus oleum, quod dicitur, & operam perdiderimus.

Spiritus Vitrioli essentificatus.

Spiritus Vitrioli summè dephlegmatus, eodem modo, quò *spiritus Nitri cum sale Gemmæ* destillari & rectificari potest, admonitionibus autem & laborandi regulis iisdem observatis, quæ superiùs paulò annotatæ sunt. Hic autem spiritus cùm summè volatilis sit, & vel continuò effumet, atque vix in vitris fortiter & arctè clausis coerceri vel asservari possit, præsertim ad loca longinqua vectus, idcirco consultum duco, ut liquoribus aliis, affectibus nimirùm, quibus destinatur, proficuis, uniatur, Exempli gratia:

Recip. *Spirit. Vitrioli essentificati supradicti unciam unã,*
Aquæ Melissæ unciam unam semis,
Spir. Rosarum drachmas duas,

Mixta digerantur in phiala oblonga, & benè clausa, post digestionem suff. servetur usui; Nephriticis & Colicis doloribus, plurimis insuper obstructionibus medetur hic spiritus.

Spiritûs Urinæ destillationem in classe de Salibus benevolus Lector re periet. Et hæc de Spiritibus pro nunc sufficiant.

Spiritus Compositi.

Spiritus compositos quod concernit, libet perindè nonnullos experientiâ comprobatos adjicere, uti sequetur.

SPIRI-

SPIRITUS ALEXIPHARMACUS COMPOSITUS.

Recip. *Scordii noſtratis,*
Rutæ hortenſis ana recent. uncias duas,
Rad. Angelicæ,
Leviſtici ana unciam unam,
Cortic. recent. Arantiorum unciam unam,
Citri unciam unam ſemis,
Myrrhæ rubræ unciam unam,
Camphoræ unciam ſemis,
Maçis,
Nuc. Moſchat.
Cardamomi ana drachmas duas,
Caryophillorum drachmas tres,
Craſſiuſculè inciſa & contuſa, infundantur in
Spiritus Iuniperi rectificati,
Sambuci ſeu granor. Acles ana libra una ſemis.
Factâ digeſtione ſufficiente, deſtillentur ad ſiccitatem ſpecierum, capitello ejusdemque proboſcidi immiſſis, ſpiritui jam dum deſtillato nec non aliquandiu, immerſis
Rad. Authoræ,
Contrayervæ,
Zedoariæ ana drachmis tribus.
Croci Auſtriaci drachma una,
Spiritui tandē eſſentificato pro indulcoratione, adde ſi lubet
Syr. noſtri de Scordio &
de corticibus Citri ana uncias duas,
Servetur uſui in vitro benè clauſo.

SPIRITUS HYSTERICUS.

Recip. *Rad. Valerianæ,*
Zedoariæ ana unciam unam ſemis,
Allii recentis drachmas ſex,
Ceparum unciam unam ſemis,
Herb. Meliſſæ,
Matricariæ,
Menthæ,
Pulegii ana recent. uncias duas,
Caſtoreï,
Myrrhæ rubr. ana unciam unam,
Galbani drachmas ſex,
Camphoræ drachmas duas,

Cina-

Cinamomi opt.
Macis anæ unciam unam,
Caryophillorum drachmas tres,
Coriandri unciam semis,
Crassiusculè incisa & contusa, infundantur in
Spirit. Iuniperi libris duabus,
Cerasorum nigr. libra una,
Aquæ flor. Tilia libra una.

Factâque digestione diebus aliquot in Alembico vitreo, destillentur ad siccitatem specierum, capitello ejusdemque rostro immissis, & spiritui tandem destillato immersis

Croci Austriaci drachma una,
Castorei drachmis tribus,
Ligni Aloës drachmis duabus,
Opii Thebaici correcti drachma una,

Servetur usui spiritus, affectibus hystericis perquàm utilis

Transeo ad Elixiria, quorum præmissæ animadversiones veras eorundem præparationes perindè commonstrant, quòd si verò plura desiderarentur, en! superaddo sequentia.

ELIXIR VITÆ REGIUM.

Recip. *Spiritûs vini opt. rectificati libras duas,*
Rosarum recent. sale condit. libram unam,

Abstrahatur, brevi factâ digestione, *spiritus à Rosis*, per Alembicum vitreum, rostro capitello immissis, & destillato spiritui tandem cum subsequentibus aliis immersis,

Ambræ gryseæ drachma semis,
Moschi orientalis scrupulo semis,
Item spiritui egresso,
Ligni Aloës gummosi uncia semis,
Flavedinis recent. Citri extimi uncia una semis,
Arantior uncia semis,

Per diem unum atque alterum infundantur, factâ pòst colaturâ, instilletur spiritui colato & essentificato fragranti,

Olei Cinamomi stillati non adult. drach. una semis,

Quod statim in eo dissolvetur, nullâ guttulâ amplius apparente. Et fiet sic Elixir præstantissimum verè Regium. Qui illud *Syrupo nostro de Cinamomo*, vel *de corticibus Citri* indulcorare voluerit, poterit ejus uncias sex circiter addere, ita enim illud palato gratius efficietur.

ELIXIR STOMACHICUM.

Recip. *Spiritus vini opt. rectificat. libras duas,*

cui

cui inſtilletur
Olei Cinamomi veri drachma una,
Macis ſtill. drachma ſemis,
His probè mixtis & ſolutis ſuperadde
Syr. de Cinamomo n.m. parati unc. tres,
vel loco hujus
Sacchari albiſſimi uncias duas ſemis,
ſoluti in
Aqua Cinamomi cum vino ſtill. unciis tribus;
Fiat Elixir nobile ſtomachicum.

ELIXIR UTERINUM SEU HYSTERICUM.

Recip. *Spiritus Ceraſorum ardentis,*
vel ejus loco
Spir. Iuniperi ardentis libram unam ſemis,
cui immerge
Croci Auſtriaci drachmam unam ſemis,
Caſtorei drachmas quinque,
Opii Thebaici n.m. parati drachmam unam,
Elæoſacchari ſuccini drachmas ſex,
Mixta digerantur aliquandiu, filtratum poſt Elixir uſui aſſervetur, quod cum Syrupo aliquo conveniente edulcorari & gratius reddi poteſt. Quòd ſi autem *Extracta Caſtorei & Croci* in promptu ſint, poſſet tale Elixir confeſtim pro unâ vel alterâ doſi parari, utpotè
Recip. *Spirit. vini rectificati*, vel qui melior,
Spirit. Ceraſor. nigr. ard. unciam unam ſemis,
in quo diſſolve vel dilue
Ext. Caſtorei drachmam ſemis,
Croci ſcrupulum unum,
Opii uti ſuprà parati ſcrupul. ſemis,
Olei Cinamomi gutt. X.
vel hujus loco
Elæoſacchari Succini drachmam unam ſemis,
Miſce & filtretur pro duabus vel tribus doſibus, in vehiculo amabili exhibendum.

Nota: Quòd *Opium per exhalationem narcotici ſui ſpiritus ſuper patellam ferream igne leni paratum*, Laudano cuicunque ferè ſit æquiparandum, præſertim ſi *ſpiritu vini* diluatur, & per filtrum à fœcibus indiſſolutis ſegregetur.

ELIXIR

ELIXIR HEPATICUM ET SPLENETICUM.

Recip. *Myrrhæ rubræ,*
Gummi Ammoniaci ana unciam unam,
Croci Austriaci drachmas duas,
Flor. Rosarum rub. unciam unam,

Contusa & incisa extrahantur cum *spiritu vini rectificatissimo*, repetitis vicibus affuso, quousque non amplius tingatur, & virtutes omnes extractæ sint: *Extractiones junctim ad remanentiam libræ unius circiter* destillando abstrahantur. Postea diluantur in

Spiritus salis Armeniaci acidi, suprà edocti, unciis sex,
Succ. inspissator. Agrimoniæ,
Absinthii,
Verbenæ,
Hepat. nobil. ana drachmis duabus,

Et *superiori Essentiæ post abstractionem relictæ*, jungantur, quæ junctim, tribus circiter diebus leni in calore digesta & unita filtrentur, critque paratum Elixir, quod asservandum. In Hepate & Liene roborando, eorumque obstructionibus pariter reserandis non minimas obtinebit vires, à scrupulo uno ad drachmam semis, vel drachmam unam pro dosi sæpiùs exhibitum, in vehiculo conveniente saporem ejus amarum & ingratum nonnihil demulcente.

Absolutis Elixiriis, Essentias ordine servato aggressurus sum. Harum vel infinitæ formulæ & processus addi possent, verùm cùm plures essentiarum formulæ sparsim traditæ sint in præmissis, solam nunc Essentiam Martis mihi hucusque servatam, quæ & Tinctura Martis appellari potest, addam, estque talis:

ESSENTIA MARTIS APERITIVA.

Recip. *Limaturæ Chalybis nullâ re peregrinâ permixtæ uncias quatuor circiter, vel sex,*

Cui vitro amplo & largo immissæ superaffundantur guttatim & pedetentim, ne nimiùm effervescat, & inflammetur

Spiritûs Nitri opt. unciæ tres,
Vitrioli rect. unciæ duæ,

Spatulâ ferreâ sæpiùs materiam in fundo commovendo, ne nimiùm indurescat, & vitrum rumpatur vel dissiliat, quod utplurimùm fieri assolet: Spiritibus omnibus instillatis, diluatur massa antequam nimis compacta fiat cum

Phleg-

Phlegmatis Vitrioli ſulphurei unciis decem,
vel loco hujus
Phlegm. ſpiritûs ſalis Armen. acidi tantundem,
Et efficietur *Eſſentia rubicunda* ſi debitè operatus fueris, vel ſaltem flaviſſima, obſtructionibus hepatis, lienis, venarum meſaraicarum vel Meſenterii, Menſtruorum muliebrium, tumoribus, nec non duriſſimis externis emolliendis & reſolvendis efficaciſſima. Memini enim me tumorem duriſſimum in carpo manûs, quem ganglion vocant, ſolâ *hujus eſſentiæ* applicatione linteolis duplicatis in eâ madefactis, abegiſſe & ſanâſſe, ſed cavendum ne linteamina ea tangantur, quùm illa maculis flavis, nullâ lotura delebilibus inquinet. Notandum porrò, quod *cum ſolo ſpiritu Nitri & phlegmate Vitrioli*, vel *phlegmate ſpiritûs ſalis Armeniaci acidi*, omiſſo *ſpiritu Vitrioli*, hæc eſſentia confici poſſit. Hanc eſſentiam denique, ſi quis ad uſum muliercularum præſtantiorem & efficaciorem reddere voluerit, is conficiat eſſentiam Martis Corallinam, modo ſequenti:

ESSENTIA MARTIS CORALLINA.

Recip. *Magiſterii ſolubilis Corallior. rub. veri ſub proprio titulo edocendi drachmas, ſex*,
ſolvatur in
Aquæ Cinamomi opt. unciæ unæ ſemis,
ſolutioni adde
Eſſentiæ Martis ſuperius edoctæ uncias duas,
Miſceantur in eſſentiam hepaticam deobſtruentem, quæ vices Tincturæ Martis & Coralliorum re & nomine ſupplebit.

Nota: Quòd Eſſentia Martis ſuperior, ſi deſtillando abſtrahatur, nullum ferè *Vitriolum* poſt ſe relinquat, uti reliquæ Martis vel Chalybis ſolutiones *ſolo ſpiritu Vitrioli* peractæ, eò quòd hæc ſubtilior, magiſque volatilis ſit, quàm aliæ ſolutiones, conſequenter ſummè penetrabilis. Hæc pauca de Eſſentiis dicta ſufficiant.

Tincturas quod concernit, de illis apud Chymicos vulgares aurei paſſim excreſcunt montes, & magna eſt dicacitas, præſertim *de Tinctura Coralliorum*, *Lunæ*, *Martis*, & ſimilibus, de quibus tamen ingenuè hoc ſentio & ſtatuo, nunquam à me viſam, ne dum lectam, *veram ſive Coralliorum Martis aut Lunæ Tincturam*, meræ nimirùm ſolutiones ſunt, & vel leviſſimâ operâ ac citò parabiles, proceſſus licet oſtentent ſpecioſiſſimos, vix dimidii anni ſpatio elaborandos vel perficiendos: proindè ad hoc oculos mente náque advertere

advertere Chymicos oportet, in quâ plurimi adhuc ignorantiâ vel in advertentiæ caligine hallucinantur, *aliud esse solvere, aliud extrahere:* Etenim qui *Tincturam cujusdam rei* efficere satagit, is eandem *è corpore vel subjecto* extrahat, relicto *corpore colore suo* privato, necessum est: hoc nisi fiat & apertè demonstrari possit, non est quòd ullus glorietur, de verâ hâc vel illâ Tincturâ, sive Auri, Argenti, Martis, vel Coralliorum, &c. quippe quæ omnes quotquot adhuc in libris Chymicorum legere licuit, meræ solutiones sunt, quibus nullo modo speciosum Tincturæ nomen competit, quo mundo egregiè imponunt, ipsi inscientes. Solutiones tamen has non proindè omnes vilipendo, aut penitùs inutiles censeo: Nam si *solutiones Coralliorum & Metallorum*, utpotè *Martis Vitriolum, & Saturni seu plumbi saccharum*, *Mercurius ipse solutus* haud parùm in Medicina præstent, quidni *& Aurum aliqualiter saltem solutum, & in pulverem vel Crocum, aut etiam in Bezoardicum, uti vocant, solare cum Antimonio*, imò in *aurum fulminans* reductum, *Bezoardicum item Lunare, Vitriolum Lunæ*, &c. efficere plura poterunt, modò dextrè & artificiosè elaborata; dextrè etiam & debitè adhibeantur. Hoc discursu vero præmisso, non tibi Lector Vellus aureum è tincturis meis polliceor, cùm jam pridem ex adversariis meis expunxerim illos, & etiamnum summo vel odio vel miseratione dignos censeam, qui inanis gloriolæ vento turgidi merâ dicacitate tot processus in libris suis consarcinant, eosq; tantis encomiis celebrant, plenisque buccis deprædicant, nec tamen tantillum penetrant, utrum hoc vel illud naturæ consentaneum sit, nec ne, scripsisse nimirùm & nomen suum frontispicio libri præfixisse, multi suo se muneri satisfeciisse existimant, firmiterque sibi persuadent, etiamsi sive verum sive falsum distinguere ipsi nesciant, undè vel infinitos defraudant ipsi decepti, & in ignorantiæ cæcitate hæsuri. Verùm si quis plurimorum Chymicorum libros à mendis liberare satageret, Augiæ stabuli expurgandi laborem humeris suis imponeret, quum indies ferè nova mendacia promulgentur. De *Tinctura itaque Coralliorum & Martis* quid sentiam paulò superiùs, clariùs autem in præmissis Animadversionibus mentem meam exposui; supervacaneum itaque censeo fusius de eo differere, sit nobis interim illarum tincturarum loco *Essentia prædicta Martis Corallina*, dum aliam Tincturam Martis magis realem & efficaciorem aliâ vice ero propalaturus: Nec tamen planè deficiam nunc, quin unam atque alteram Tincturam efficacem Tibi Lector communicem: Et primò Tincturam Antimonii, quæ talis:

Tincturæ vulgares meræ solutiones sunt; suo tamen modo validæ aliquot.

Multa falsa affinguntur putativæ tincturis.

TINC-

TINCTURA ANTIMONII.

Recip. *Vitri Antimonii ſine additione parati, rubini inſtar. fol. 458. Animadv. edocti q. ſ.*

Cui in pulverem ſubtilem contrito ſuperaffundatur

Spiritus noſter Veneris rectificatus, & ſuprà paulò deſcriptus, ad trium circiter digitorum ſupereminentiam.

Digerantur in loco calido, quietè ſine agitatione & commotione, (quod ſtudioſè notandum, quamvis *vitrum dictum Antimonii pulveriſatum*, fundo vaſis compactè adhæreat,) donec flavo vel rubicundo colore imbuatur *ſpiritus*, hoc per inclinationem effuſo, alius ſuperaffundatur, hocque toties repetendum, quoties *ſpiritus affuſus* tingitur, quod ſecundâ & tertiâ vice ſat lentè contingit; *ſpiritus tincti omnes* in Alembico abſtrahantur, non tamen ad totalem ſiccitatem, ſed aliqualem liquoris remanentiam: Cui remanentiæ *ſpiritus vini rectif.* ſuperfuſus, illicò is rubicundiſſimo imbuetur colore, craſſamento flavo depoſito, vel remanente, quod per filtrum ſeparandum, *tinctura autem cum ſpiritu vini extracta*, denuò ad complacentiam vel liquorem rubicundiſſimum abſtrahenda, uſuique ſervanda eſt.

Nota: Non inconſultum foret *Tincturam hanc* ad mentem Baſilii Valentini in Curru triumphali Antimonii, *in Oleum verum Stibii* ulterius elaborare, nec dubito, quin magna præſtet.

Tincturam Martis vel Chalybis adſtringentem, ſi deſideras Lector, ſequentem habeas.

TINCTURA MARTIS ADSTRINGENS.

Recip. *Limaturæ Chalybis puræ q. pl.*

Quæ vitro largo immiſſa humectetur *cum ſpiritu n. Veneris ſuperiùs paulò edocti*, iterumque exſiccetur, idque bis terve repetatur, donec *limatura in crocum* veluti converſa ſit, cui in pulverem redactæ ſuperaffunde

Eundem ſpiritum n. Veneris,

Ad ſupereminentiam quatuor circiter digitorum tranſverſorum, qui prævia digeſtione rubicundiſſimo imbuetur colore, *tinctus ſpiritus* effundendus, aliusque ſuperaffundendus eſt, donec nulla rubedo in extractione amplius appareat; *tincturæ omnes collectæ & filtratæ* per arenam, in alembico vitreo, abſtrahantur ad craſſitiem competentem, quæ porrò cum *ſpiritu vini* extrahenda, filtranda, & ad Oleitatem vel liquorem rubicun-

rubicundiſſimum per deſtillationem vel abſtractionem reducenda eſt. Hæc tinctura non aperiente ſed adſtringente facultate pollet, igitur in fluxu hepatico, Diarrhæâ immodicâ, Dyſenteriâ, menſtruo ac hæmorrhoidali fluxu nimio, Hæmorrhagiâ immoderatâ magno erit uſui.

De Oleis deſtillatis.

Olea deſtillata quod concernit, illa in præmiſſis pariter ventilata & edocta ſunt, nihilominus ut etiam Podagricis & Hypochondriacis, qui duritie lienis laborant. auxilio ſim, duo Olea communico, multoties à me experta, Saponis nimirum & Tartari, quæ talia:

OLEUM SAPONIS VENETI ANTIPODAGRICUM.

Recip. *Saponis Veneti libram unam,*
Silicum friabilium, ſcil. qui ignem ferro attriti non emittunt, & cultro raſpari poſſunt, libras duas vel tres.

Mixta & retortæ vitreæ loricatæ immiſſa, deſtillentur per gradus, igne aperto, *Oleũ egreſſum empyreuma ſpirans*, in aliâ retortâ, *cineribus permixtum* rectificetur, uſuiq; aſſervetur.

Præſtans eſt *Oleum Antipodagricum*, externè membris podagricis & ſummè dolentibus, in initio & vigore Paroxyſmi, pennâ aliquoties illitum, ſiſtit dolorem, & membra à tophis & contracturâ podagricâ præſervat,. nec parti affectæ materiam peccantem impingit, verùm illam ſalſedine ſuâ materiæ morbificæ, nimirum acidæ, è diametro oppoſitâ, deſtruit, cutim perſpirabilem reddit, ut eò faciliùs membris inhærens peccans humiditas exhalare poſſit, nec intùs diu detineatur, detentaque tandem & exſiccata tophos podagricos efficiat.

OLEUM TARTARI SPLENETICUM.

Recip. *Olei Tartari, ex Cryſtallis vel Cremore tartari unicâ ſolutione parati, ſtillati libram ſemis,*
Cui adde
Cineris ſarmentorum vitis q. ſ. ad maſſam efficiendam, vel ut ad ſiccitatem reducatur oleum.

Et per retortam vitream in arena rectificetur, ſervetur ad uſus externos. quod regioni Lienis in ejuſdem obſtructionibus & ſcirrhoſis affectibus illitum ſæpiùs, haud parum præſtare, experientiâ edoctus ſum: qui verò illud aliis rebus penetrantibus, utpotè Camphorâ, Succini Oleo, &c. permiſcere voluerit, is ſine dubio, quantum quidem externis medicamentis conceſſum, plura efficiet.

Balſama

Balſama tàm interno quàm externo uſui deſtinata, & quæ ad eorum legitimam præparationem pertinent, alibi edocta & annotata ſunt, viſum eſt nihilominus unam alteramvé adjicere compoſitionem, & dexterrimam ſimplicium balſamorum præparationem, uti ſequetur: *De Balſamis.*

BALSAMUM ANTIPOPLECTICUM.

Recip. *Moſchi Orientalis non adulterati ſcrupulum unum.*
Hic ſolvatur in *ſ. q. Spiritus Roſarum*, in mortariolo ad formam pulticulæ (in defectu dicti Spiritus, *aquam Roſarum vel Cinamomi, aut aliam aquam apoplecticam* ſubſtituendo,) pòſt addatur particula de *Oleo Nucis Moſch. expreſſo*, aliàs addendo, cujus pondus ſequetur paulò inferius, hęc benè mixta interim ſerventur ſeparatim hinc ſolvatur in eodem mortariolo

Ambræ gryſeæ drachma ſemis,
cum
Ol. ſtill. Cinamomi ſcrupulo uno,
Caryophillorum ſcrupulo ſemis,
Coriandri,
Lavendulæ,
Majoranæ ana gr. xv.
Succini rectific. ſcrupulo uno.

Huic pulticulæ ſenſim & ſenſim adde ſequentia:

Ol. Nuciſtæ duriuſculi non adulterati ſed legitimè expreſſi drachmas tres,
Zibethi orientalis, non rancidi, nec adulterati, ſcrupulos duos,
item
Superiorem ſolutum Moſchum, in pultem cum Ol. Nuciſtæ converſum,

Miſceantur optimè in mortario, & tandem ſuper leniſſimum ignem in patella ferrea parùm liquefiant, pro accuratiore unione, ne quicquam autem exhalet, illicò refrigeſcere permittatur balſamum, patella nimirùm cui ineſt dictum balſamum aquæ frigidæ immersâ, donec refrixerit, quod denuò ſpatulâ agitandum, pyxidi immittendum ac uſui aſſervandum eſt.

Nota: Qui ad gratitudinem odoris & fragrantiam magis, quàm ad virtutem inclinant, pro *Oleo Succini*, *Oleum Roſarum verum* ſubſtituant. *Oleum verò Liliorum Convall.* quod quidem pro hoc balſamo ſummoperè commendant, in perpaucis officinis pharmaceuticis proſtat, & adhuc ſub judice lis eſt, utrum hoc Oleum ſine aliarum rerum additione per ſe legitimè deſtillari poſſit.

Pro sexu fœmineo, quæ odorem *Moschi*, *Ambræ & Zibethi* ferre nequeunt, tale balsamum apoplecticum paretur.

BALSAMUM ANTAPOPLECTICUM PRO SEXU FOEMINEO.

Recip. *Ol. Nuc. Moschat. legit. expressi drachm. tres semis,*
& stil. Cinamomi,
Coriandri,
Lavendulæ,
Majoranæ,
Rorismarini,
Salviæ,
Succini ana scrupulum semis,
Camphoræ scrupulum unum semis,
Balsami Indici de Peru scrupulos duos,

Misceantur omnia exactè s. a. fine igne, fiat balsamum pro usu esservandum.

BALSAMUM MATRICALE SEU HYSTERICUM.

Recip. *Ol. Nuc. Mosch. legit. expressi drachmas duas,*
Axung. Castorei recentis non rancidæ scrup. unũ,
Camphoræ drachmam semis,
Ol. Stillati Galbani,
Lavendulæ,
Macis,
Majoranæ,
Menthæ,
Succini ana scrupul. semis,

Misceantur sine igne, ultimò tamen parumper liquefiant, & illicò refrigerari permittantur. Servetur balsamum.

BALSAMUM LOIMICUM SEU ANTIPESTILENTIALE.

Recip. *Olei Nucistæ legitimè expressi q. s.*

Coquatur in patella ferrea cum *Decocti herbæ Rutæ recentis s. q.* donec *oleum* proprium odorem ferè amiserit, majore autem duritie contractâ, pro largiore impressione *Oleorum stillatorum* (nam quò duriùs solidiusque *Oleum Nucis expressum* est, tanquam legitimum balsamorum corpus, eò plus de *Oleis stillatis* illi imprimi potest, consequenter nobiliora & efficaciora

efficaciora evadunt balsama, cùm tota balsamorum virtus & efficacia ab *Oleis destillatis* dependeat,) siccetur *illud coctum Oleum* in calore leni, vel in Sole, pro majore detractione proprii odoris. Jam accipe

Hujus paratæ Olei drachmas tres,
cui immiscentur
Camphoræ scrupulus unus,
Ol. Stillat. Angelicæ,
Iunipери,
Rutæ,
Succini,
Zedoariæ ana scrupul. semis,

Misceantur exactè in Balsamum antiloimicum lenissimo in calore.

Balsama simplicia utpotè Garyophillorum, Citri, Majoranæ, & similia, ut dextrè & legitimè conficiantur, observetur sequens modus:

BALSAMUM RUTÆ.

Recip. *Ol. Nucistæ legitimè expressi & durinsculi q. pl.*

Nam si illud molle & unctuosum, certissimum & infallibile signum est, *illud vel butyro vel oleo quodam* adulteratum & permixtum esse, quod huic labori plane inutile, sed rarò rarissimè à Mercatoribus legitimum & non adulteratum acquiritur, nisi in Pharmacopoliis studiò exprimatur. Hoc *Oleum expressum* coquatur cum *q. q. Decocti herbæ Rutæ recentis*, (si *balsamum Rutæ*, vel *decocto Garyophillorum*, si *Balsamum eorum*, sicque de aliis dicendum, conficere volueris,) donec tota ejus fragrantia & *Oleum subtile spirituosum* exhalârit, quod siccetur in Sole, vel alio leni calore ne liquefiat: Huic tandem Oleo nativo odore, sapore & virtute privato, friabili ad instar pulveris, immisceatur

Ol. Still. Rutæ quantum satis,

Pro legitima & debita balsami consistentia, addendo ultimò pro colore viridi nativo imprimendo

Magisterii ejusdem herbæ viridis, pag. 444. Animadversionum edocti. q. s.

Fiat balsamum nobile, nativis suis virtutibus uberrimè præditum. Atque hoc modo omnia balsama simplicia debitè & dextrè confecta prostabunt.

Nota: Non immeritò præcipio *Oleum Nuc. Moschat.* cum *decoctis* potiùs, quàm cum *Aquis destillatis herbarũ* decoquẽdum esse, eò quòd *aqua jam dum semel destillata*, in coctura

penitùs exhalent, nihil reſidui de virtutibus ſuis relinquentes, *decocta verò herbarum* vel aliorum vegetabilium, licet eorundem partes ſpirituoſiores, ſi ſulphureæ ſint naturæ in vaporem reſolutæ decoquendo æthera petant, nihilominus craſſiores & magis terreſtriores partes (minimè contemnendæ in quibusdam, præſertim ſi intra corpus balſama ſumenda ſunt,) unà cum *Oleo dicto Nucistæ* permanent, & balſama in virtutibus intendunt; nam omnia balſama ad eandem normam parata, tàm interno quàm externo uſui deſtinari poſſunt.

Et hæc quoque de Balſamis ſimplicibus & compoſitis realiter dicta ſufficiant, ſtudiosè à quolibet Pharmacopœjo obſervanda, ne impoſterùm fœtida & putida balſama, prout in plurimis Pharmacopoliis deprehenduntur, ſed præſtantiora & artificioſiora conficiat, quibus & Medico & Ægro ſatisfaciet, ſibique honorem & laudem conciliabit: Etenim eò nunc res devenit, ut vel quilibet Agyrta & Circumforaneus, ſimilia putida, rancida, & effœta balſama conficere nôrit, in ſummum dedecus & detrimentum Pharmacopœjorum & ægrotorum.

Fœculæ radicum nugæ ſunt.

Devenio ad Fœculas, inutile & effœtum medicamenti genus, de quibus meam ſententiam veris rationibus firmatam jam pridem præmiſi: An enim quiſpiam, qui mente ſibi præſens, crediderit, *Radicem aliquam ſucco ſuo per expreſſionem orbatam & ſiccatam*, efficaciorem fore *radice integrâ ſuâ virtute adhuc gaudente, ſuccoque ſuo in ſe per exſiccationem concreto?* Fœcula ergò nihil aliud eſt, *quàm ſubtilior, non virtutem ſed corporis ſeu radicis ſaltem pars*, quæ dum per ſaeculum linteum *contuſa & raſpata radix* exprimitur, unà *cum ſucco* transfluit, poſteà verò *ſucco ſuo* per effuſionem & decantationem privatur & totaliter orbatur; iisdem autem & non minoribus *relicta ab expreſſione radix* virtutibus gaudet, quæ tamen abjicitur, tanquam *ſucco ſuo orbata, & conſequenter viribus jam exhauſta radix* eſſet. Vegetabilium Magiſteria, præſertim herbarum & Plantarum (quæ ipſa ego non magni æſtimo, & accidentaliter ſaltem ea deſcripſi fol. 444. Animadverſionum) majoris efficaciæ in natura ſua fore exiſtimo, quàm ſint Fœculæ hæ tantoperè decantatæ, ſiquidem tota veluti herbarum ſubſtantia excocta aut extracta, per contrarietatem ſalium (ſalis nimirùm Tartari & Aluminis, quorum prius ſalſum, alterum acidum ſui generis ſal eſt,) denuò præcipitatur, ac conſequenter quasdam virtutes proprias præcipitatum in ſe reconditas habebit, quod porrò intra corpus humanum ſumptum, tanquam vegetabile, licet præcipitatum à calore noſtro, facilè ſubigi, & in actum denuò deduci poteſt,

Fœculis Magiſteria vegetabilium paulò plus præſtant.

poteſt, cûm neutiquam corroſivis aquis combuſtum ſit: Enimverò quæ fit per *ſalia ſalſa* vel *per aquam ſalſam* extractio vegetabilium, & itidem per *ſalia acida reſoluta* eorundem præcipitatio, non æquè deſtructoria eſt, quàm quæ per *corroſivas aquas & ſpiritus*, quarundam rerum fit ſolutio, utpote *Coralliorum*, *Perlarum*, *Ocul. Cancrorum*, &c. & itidem per corroſiva eorundem præcipitatio, quibus nimirùm *aquis corroſivis & ſpiritibus*, ſubjecta prædicta comburuntur, quæ uti *metalla* in priſtinam formam vi ignis fuſorii haud reducibilia ſunt, ſed *uti Corallia*, *Perla*, &c. quæ Vulcani torturam ſuſtinere nequeunt, deſtructibilia.

Vegetabilia præcipitata per ſalina nõ deſtruũtur æquè ac præcipitata in aquis corroſivis ſoluta.

Hæc Plantarum aut vegetabilium Magiſteria, de quibus nobis ex accidente jam ſermo fuit, anſam & materiam præbent nonnulla *de Lapide Bezoar* diſſerendi, cùm ejusdem *Lapidis Bezoar orientalis & adulterini puto*, eadem *Plantarum Magiſteria* materiam eſſe ex quâ fraudulenter conficiatur, omninò mihi perſuadeam, quùm non ſemel à fide dignis & veritate cupidis Viris eadem mihi relata ſint: Etenim ii quiſpiam vanâ perſuaſione non obcæcatus, ſaniore judicio computum inſtituere non aggravabitur, non difficulter in numeros poterit redigere, *quot millenis dictorum Lapidum*, uno anno ſaltem, in Germaniâ, Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Indiis, & plurimis aliis vaſtiſſimis Regnis ac Regionibus, quarum Incolis & populis ad ruſticos usque Lapis dictus nunc in uſu eſt, medicamenti vice abſumantur, *quotque millia eorum millium*, ut non dicam *centenarii aut ſaltem libra* penes infinitos Mercatores, Indiarum & Europearum Regionum venales, adhuc quotidiè proſtent & aſſerventur: Contrâ verò ſi conſiderabit *animal iſtud, ex quo Lapides depromuntur, eſſe ſylveſtre ad inſtar capræ, nec niſi venatu acquirendum*, in inſula quadam Indiarum orientalium, imò non niſi occiſum ſive mactatum *ſuos Lapides* (tamque raros ut potiùs Regiæ Cameræ adſcribantur, quàm ut promiſcuè vulgò in rapinam concedantur) ſuppeditare, proculdubio is impoſturam vel ex ipſa rei impoſſibilitate benè penſitata illicò animadvertet, ſiquidem nec mihi perſuadere poſſum, etiamſi cuncta Indiarum Regna *hiſce animalibus* (quorum Regnorum & animalium tamen, ſi navigationibus Indiarum, illiſque qui Indias orientales perluſtrarunt habenda fides, numero pauca ſunt,) plena eſſent, *tot lapides* ab iis depromi poſſe; Exemplo nobis ſint Damæ vel rupicapræ ſylveſtres noſtræ Alpinæ, vulgò **Gembſen**/ quot quæſo Regiones ſaltem in Germania ſunt, quæ ſimilia animalia producant? eorum quædam venatorum induſtriâ capta, vel ſclopetorum globis jaculatoriis occiſa,

Structura Lapidis Bezoar Orientalis.

pilas etiam in se reconditas habent, (vulgò Gembßkugeln/) puerperis difficulter parturientibus summum refugium, alt quàm *raræ & carè sunt hæpila?* adeò ut nisi pretio & precibus, difficulter tamen, una quandoque *earundem pilarum* sit indipiscenda, & ipsarum vel pauciſſimæ, ob usum earum a Medicis & à vulgo obstrusum adhuc & absconditum, in Medicina consumantur. His rationibus ductus persevero in meâ præconceptâ opinione, *Lapidem nimirum Bezoar orientalem* pro majore parte esse adulterinum, factitium, ab Hebræis fortè Lusitanicis singulari arte & industriâ, ex similibus supradictis *Plantarum Magisterijs*, corticetenùs & per juxta appositionem conflatum, atque perpoliendo suo orientali lustro vel colore ornatum, & quod verus Lapis Bezoar vix, nisi Magnatibus Indiæ, Persiæ, & Regibus nostris, quibus ab Indis dona mittuntur, in promptu sit. Ex *quibus Plantis* autem *hoc Magisterium pro efformando Lapide*, conficiant, studio nobis scisitandum foret: Si ex *Plantis alexipharmacis*, utpotè *Scordio, Rutâ*, & similibus præparationem eorũ molirentur, non item inficias, quin multa etiam in medicina, sudorem commovendo & pellendo Venena *hoc ipso factitio Lapide* præstari posset. Sed hæc obiter *de Lapide Bezoar orientali* sic dicta sufficiant, quæ non tàm persuadendi, quàm investigandi & veritatem inveniendi gratia huic Appendici adjecta volui.

Verus Lapis Bezoar ipsâ raritate rarior.

Nunc ordine servato sese offerunt Magisteria vulgaria & officinalia, quorum censuram tamen in eorundem Animadversionibus præmisi, verâ interim *Magisteriorum, scilicet Coralliorum, Perlarum, & reliquorum Lapidum, pretiosorum*, præparatione hucusque mihi reservatâ, *ob menstruum secretum*, quod ænigmaticè saltem in præcedentibus abumbravi: verùm cùm nunc in hâc Appendice plurima præstantissima & realia medicamenta Reipublicæ Christianæ communicârim, hac in parte etiam desistere nolui: Itaque sine ulteriore examine vulgarium Magisteriorum, quæ firmis & invictis rationibus experientiâ comprobatis, jam tum totaliter tanquam *inutiles & mortuas calces* rejeci, ad veram & realem eorundem præparationem celeri pede transeo, quæ talis:

Recip. *Coralliorum, Margaritarum, vel quodcunque simile subjectum volueris, q. pl.*

Magisteriorum solubil. vera praparatio.

Cui sive integro sive contuso, & cucurbitæ vitreæ immisso superfunde

Spiritus vel Menstrui n. superiùs edocti ex floribus aris q. s. ad supereminentiam trium vel quatuor digitorum transversorum.

Digerantur in loco tepido non calido, die unâ atque alterâ, & sol-

& ſolvetur haud exigua portio rei immiſſæ, imò plus quàm *alii ſpiritus etiam acidiſſimi & corroſivi* alias ſolvere ſolent, & ſi paulò diutiùs in calore etiam leni relinquantur, convertitur *ſpiritus hic* una cum *Corallijs vel Perlis ſolutis*, (quarum Perlarum interiorem ſubſtantiam & pulpam ſolvit, relictis putaminibus ſive corticibus perlarum integris, aſt vacuis, ſolutioni innatantibus, ac ſi integræ adhuc forent Perlæ,) in *butyrum ſeu coagulum album*; hoc ſi eveniret, nec effundi poſſet ſolutio, apponatur ſtatim cucurbitæ cui coagulum hoc, una licet cum indiſſolutis *Perlis aut Corallijs* ineſt, capitellum, ac per M. B. abſtrahatur *ſpiritus affuſus* ad totalem ſiccitatem rei ſolutæ, tranſibit is eâdem ferè aciditate & quantitate quâ affuſus eſt, relictâ in Alembico *materia albiſſimâ*, quæ dein *affuſa aquâ ſimpl. deſtillata, vel rore majali itidem deſtillato* ſolvatur, ſolutum filtretur & denuò per M. B. ad ſiccitatem abſtrahatur: Hæc Magiſterii diſſolutio cum aquâ ſimplici vel rore majali deſtillato, ejusdemque abſtractio, toties repetatur, donec nulla aciditas vel ſapor à ſpiritu menſtruo ſolvente percipiatur, cùm *illud menſtruum ſcil. ſolvens* totaliter à *re ſoluta* abſtrahi poſſit, planè alio modo ac reliqui ſpiritus acidi & corroſivi, qui ſolvendo & agendo, reactione ſolvendorum patiuntur & deſtruuntur, imò totaliter in aliud eſſe convertuntur, nullâ arte à ſimili re ſolutâ ſeparabiles, eique inſuper haud parùm nocivi; *Spiritus autem ſive Menſtruum prædictum* præterquam quod totaliter à re ſolutâ abſtrahi poſſit, innocuum illud planè eſt, & per ſe laudabile Medicamentum antepilepticum & ſtomachicum, adeò ut abſtractio ejusdem ad ultimam veluti guttulam à rebus illò ſolutis per repetitas affuſiones aquæ ſimpl. ſolutiones, filtrationes & abſtractiones tantoperè neceſſaria non ſit, ſi à curioſo non expetatur. *Remanentia à prima ſolutione*, ſi quid reſidui nimirùm & indiſſolutum *à Perlis vel Corallijs aut alia re ſolvendâ* remanſerit, denuò *priore abſtracto ſpiritu ſuperfuſo*, totaliter ſolvatur, ſolutum filtretur, abſtrahaturque, ac reaffuſione aquæ ſimpl. ejusdemque abſtractione edulcoretur: Spiritus autem ſolvens porrò ſervandus, aliisque ſimilibus ſolutionibus accommodandus eſt. Atque hic eſt dexterrimus *Magiſteriorum ſolubilium* parandi modus, quorum *Magiſt: drachma una* plus efficere potis eſt, quàm *uncia vel plus vulgarium penitus inutilium & inſalubrium præcipitatorum Magiſteriorum*, cùm hæc intra corpus ſumpta, tanquam mortuæ calces, ventriculum ſaltem & inteſtina albugine obducant, graventq; diu indiſſoluta illis adhærendo, aut ſi è ventriculo elabantur, meſaraica vaſa obſtruendo, concoctionem impediendo,

morbos

Hiſtoria nocumenti à Magiſterio vulgari.

morbos tandem graviſſimos inducere apta nata ſint. Hæc uti veriſſimâ ſunt, ita memorabile exemplum ob oculos benevolo Lectori pono. Incidi nimirùm duobus circiter annis ab hinc, in virum prænobilem & doctum, magnô officiô in Aulâ Cæſareâ fungentem, is auxilio medico ex me requiſito, conquerebatur de gravedine pectoris & ſtomachi, nauſeâ, ac in appetentiâ ciborum, cum febre lentâ, continuâ, quamvis aliàs optimâ victûs ratione, medicamentis item confortantibus, & quem proferebat tandem pulvere cordiali & cephalico uteretur. Hunc utut naturâ debilem, magisque autem à morbo debilitatum deprehenderem, nihilominus neceſſarium duxi, univerſale remedium curæ præmittere, eò quòd in ipſo ventriculo, ejuſque ore ſuperiore crudam materiam hærere, ſumptô indiciô à nauſeâ, ſuſpicarer, quæſivi proin ex Nob. Pat. utrum lene Vomitorium (cùm quidam vanâ Medicorum quorundam perſuaſione vomitoriâ maximoperè abhorreant,) quod bis, tervé ad ſummum per ſuperiora & toties per inferiora operaretur, non recuſaret? annuit, adjunctâ tamen ſeriâ proteſtatione, ne plures quàm tres vomitus cauſaret. Poſtero die exhibitâ medicinâ horis matutinis ad optatum illa ſucceſſit, bis enim per ſuperiora, tervé per inferiora ſuas abſolvit blandas operationes: à meridie cùm Nobilem Patientem inviſerem, benè habentem, magnum ſe levamen circa præcordia perſentire referebat: Conjux ejus nobilis adſtans, detectâ pelvi argenteâ monſtrabat quæ per ſuperiora ſat copiosè prodierant excreta, ferè ad duas libras viſcidi & craſſi humoris, cujus imum ad digiti craſſitiem pulvis, ad inſtar cinerum albicantium, proſedimento erat; quæſivi jocô, utrum fortè cineres cibis aut ferculis pro condimento admiſcerentur. Excrementa infernè excreta dum deindè cupidus perluſtro, ea ipſa etiam non aliter ac ſi copiosè cineribus eſſent permixta apparebant. Nobilis Dominus Patiens, cùm omnes admiratione tenerentur, undè copia hæc pulveris, excrementis, tùm vomitu rejectis, tùm infernè excretis admixta proveniret, his verbis prorupit: Cineres quidem comedere inſolitus ſum, pulverem verò precioſum ejuſdem ferè coloris mihi ordinatum in proximis Comitiis Ratisbonenſibus ſingulis quaſi diebus aſſumpſi, atque ſtatim illum in ſcatula cum recepta monſtrabat, erat autem pulvis hic pretioſus confectus, *ex Magiſteriis Perlarum & Coralliorum, Cornu Cervi uſto præparato, & Pulvere Epileptico Marchionis*, ita manifeſtè à juvantibus, tanquam medicinâ exhibitâ, & nocentibus, utpotè pulvere prædicto pretioſo, & morbus ejusque Symptomata, & cauſa morbi nobis omnibus in conſpectum veniebant,

non

non levi indignatione Patientis, quòd haud exiguo pretio & sumptu sæpiùs in dictum pulverem facto, ferè mortem sibi adsciviſſet. Quibus præmiſſis firmiter demonſtrantur quæ *de Magiſteriis vulgaribus* non ſolùm, verùm etiam *de Lapidibus & Gemmis pretioſis præparatis* in Animadverſionibus, verâ ratione & experientiâ ductus, præmiſi, quæ tamen ſi quiſpiam ſpernere velit, per me licèt, ſufficit me fideliter plurima notatu digna communicâſſe & vera ſcripſiſſe. Reliquorum Magiſteriorum præparationes accuratè traditæ ſunt in præmiſſis, quò benignum Lectorem remitto, & ad ſalia celeri curſu tranſeo.

Vera de Salibus doctrina.

Præſtat autem de Salibus generalem doctrinam ſubnectere, cùm non Galenici ſolùm, verùm & non vulgares Chymici, qui apicem Chymiæ ſe digito tetigiſſe arbitrati ſunt, maximoperè in eorundem deſcriptionibus hallucinati ſint, & promiſcuè *omnis generis ſolutiones, Vitriola, Tartaros, &c.* quæ propriè *Salia* non ſunt, *ſalibus* tamen adſcripſerint. Sciendum igitur in univerſum, *Salia* duplicis tantùm eſſe generis, *Salia nimirùm volatilia, & Salia fixa. Salia* porrò *volatilia* iterum duplicia, *Salia volatilia purè ſalſa*, & *Salia volatilia acido ſalſa:* Itidem *fixa Salia* duplicia, *Salia purè ſalſa* nimirùm, & *Salia acido-ſalſa.* De *Salium horum* differentiis paulò pòſt plura, *Salia illegitima* prius ventilaturus, inter quæ primum occupant locum *Salia eſſentialia, ex ſuccis vegetabilium vel herbarum parari ſolita*, quippè quæ propriè *Salia* non ſunt, ſed *Tartarus*, licet ea multum *ſalis*, prius tamen calcinata, ſuppeditent, non ſecus ac *Tartarus vini*, qui etiam inter *Salia* propriè ſic dicta numerari nequit, quamvis pro majore ſui parte, prius calcinatus, in *ſal* convertatur, ante calcinationem autem *corpus ſit ex variis rebus heterogeneis conflatum*, utpotè *Oleo fœtido, Spiritu aquoſo empyreumatico-dolente, terrâ mortuâ, & ſale fixo*, quæ omnia verâ analyſi in conſpectum producuntur, operâ Vulcani: Eodem modo *Sal quoddam eſſentiale* ex magna copia ſucci cujuſdam vegetabilis, uti *Tartarus ex vino* parari conſuevit, qui *ſuccus Tartarum* ſuum, uti *vinum* ſuccus nempè magni illius vegetabilis ad fundum & latera doliorum deponit, ad inſtar cryſtallorum, præſertim coctione vel deſtillatione prius pro majore parte abſtractus, planè ſimilem in modum uti ex remanentiis craſſis nigris *aceti*, à deſtillatione ejuſdem relictis, aquæ affuſione, coctione & filtratione cryſtalli tandem colliguntur, quas Chymici *Sal Aceti* nuncupant, verè tamen *Tartarus Vini vel Aceti*, & non *ſal* ſunt: Ita etiam *cryſtalli hæ ex ſuccis quibuſcunque vegetabilium* paratæ, quas *ſalis eſſentialis* nomine hucuſque dignati ſunt, *Tartarus* propriè

Diſtinctio Salium.

Salia eſſentialia vulgò dicta ſunt Tartarus.

eſt

est ejusdem vegetabilis, ex iisdem rebus heterogeneis, utpotè *Oleo fœtido, spiritu aquoso, terrâ mortuâ, & sale fixo*, uti *Tartarus vini* conflatus, qui vires autem ejusdem plantæ non exactè refert, prout nec *Tartarus vini, vini* virtutes collectas & concentratas integrè repræsentat.

Sal Coralliorum examinatur.

In numero porrò Salium illegitimorum sunt *Sal Corallio-rum, Perlarum, Ocul. Cancrorum, &c.* quæ dissolvendo prædicta *cum spiritibus corrosivis, aceto item destillato*, parantur, uti suo loco edoctum; & quamvis ex *Corallius cum sulphure aliquoties calcinatis*, sicut in prægressa Mantissa *Sal Coralliorum* Authores parandum præcepêre, *Sal* veluti extrahi possit, illud ipsum tamen *vera solutio* est *corporis totius Corallio-rum*, non *Sal*; nam quodcunque etiam *metallum* cum *sulphure* calcinatur, deflagrante nimirum sulphure ab eo aliquoties, solvitur, & in *Vitriolum* convertitur illud pro parte sui magis vel minus, prout *metallum* solutu facilè vel difficilè est, *a fumo sulphuris ardentis, qui* nihil aliud, quam *verus & legitimus spiritus Sulphuris* est, in campana si excipiatur coagulabilis: Sic *Corallia*, tanquam solutu facillima a quovis *acido spiritu*, aut ab hoc *sulphuris ardentis fumo* solvuntur, & in *solutu Corallia*, si *aquâ affusâ* veluti elixiviantur, convertuntur, secus contingit, quando *Corallia aut Margaritæ vel Oculi Cancrorum* Vulcani violentiâ simpliciter calcinantur absque *sulphure*, tunc enim in similia *salia vel solutiones* converti haud possunt, sed potiùs calcinatione violentâ totaliter destruuntur, & ad instar *Calcis vivæ & terræ mortuæ* se habent, nullâ arte nec *aquâ simplici* amplius solubilia: Itaque cùm *Salia* impropriè sic dicta *Coralliorum, Perlarum, &c.* solâ & verâ dissolutione totius corporis vel substantiæ necessariò confici debeant cum *spiritibus acidis corrosivis*, & neque ex *Corallis vel Perlis calcinatis simpliciter, aquâ affusâ Sal* elui aut solvi possit, idcircò *solutiones* sint & maneant, quæ neque inter *Salia fixa*, neque *volatilia* connumerari, nevé *Salia propriè* dici possint. Utrum autem *Sal quoddam* in intimis harum rerum visceribus, (scil. Perlarum, Coralliorum, &c.) lateat, magna & Philosophico Chymica quæstio est, quæ si in utramque partem ventilanda esset, non unâ paginâ foret opus, haud brevibus coërcenda, idcircò pro nunc saltem affero, sicuti *ex saxis*, item *metallis* difficillimè *Salia* confici possunt, ast cuncta facilè dissolvi. & quædam in *vitriola*, utpotè *metalla*, converti, itaque neque ex *Corallis, Matre Perlarum, quæ saxa marina sunt sui generis, & Oculis Cancrorum, itidem suæ speciei lapillis, salia* sic propriè dicta & intellecta, paratu facilia aut possibilia erunt.

An detur verum Sal Coralliorum & Perlarum.

Hæc

Hæc præmissa ut nonnihil lucidiora fiant, *Sal* sive *Saccha-* *Saccharum rum Saturni* ventilandum aggredior, ubi statim quæritur, *Saturni, an* nùm & *illud verum Sal sit Saturni vel plumbi*, cùm Author *verum Sal* ejus in Mantissa Hermetica, *ex cineribus plumbi aperto igne sit.* *sine alio adjecto combusti præparatis*, (uti loquitur,) *cum aceto destillato sal extrahere, & septies aquâ pluviali solvendo, filtrando, & lenissimè in balneo evaporando edulcorare* præcipiat. Tria in brevi hoc processu incudi rectæ rationis & judicii admovere necessum est; Primùm, utrùm *Metallum* quoddam *Utrum Me-* verè calcinari, & in cineres veros redigi possit, è quibus *Sal* ex- *talla calci-* trahendum: Secundum, nùm extractio *ejusdem Saccheri vel* *nata sal* *salis Saturni*, sit vera extractio, an tantùm solutio: è quibus *dent.* palàm fiet, an *Saccharum vel Sal plumbi* propriè & verè *sal* sit, an verò *Vitriolum* seu *solutum metallum*: Tertium, utrum hoc sive quodcunque aliud *Sal*, aut etiam *solutio*, iteratis solutionibus, filtrationibus & evaporationibus edulcorari possit. Primum quod spectat calcinationem metallorum, nùm illa verè *in cineres* calcinari, & *sal verum* ex illis elici possit; hoc ut clarum fiat, sciendum, Metallorum quoddam esse fixissimum, utpotè *Aurum*, quoddam fixum, nimirùm *Argentum*, item *Æs sive Cuprum & Ferrum*, *Auro* tamen in fixitate cedentia, ex parte impura & terrestriora, uti *æs* & *ferrum*: Quædam his volatiliora, utpotè *Stannum* & omnium maximè *Plumbum*. Fixissimum itaque Metallum *Aurum*, utut diu multumque calcinetur, idem metallum remanet sive *Aurum constans*, Vulcani activitatem & violentiam planè respuens, & si quidquam fortè, forti & diuturnâ nimis calcinatione de eo perderetur, nullas tamen *scorias* quæ sciam, multò minùs *cineres* post se relinquit, è quibus *sal* extrahendum in facili foret. Fixa non tamen fixissima Metalla, in quorum seriem primariò *Argentum*, *Cuprum* etiam & *Ferrum* collocavi, illa strenuâ aut diuturnâ ignis violentiâ calcinata, vel penitùs cum totâ sua substantiâ avolant, vel ex parte, utpotè quæ magis impura & terrestriora sunt corpora *Ferrum & Cuprum*, in *scorias* convertuntur aut in *Crocos*, neutiquam in *Cineres*, è quibus *verum sal* eliciendum. His volatiliora *Stannum* & *Plumbum* forti calcinatione vel reverberatione ferè totaliter avolant, pauculis *scoriis* relictis, leni verò calcinatione prout figuli solent, in *pulverem & quasi cineres* convertuntur; continuâ tamen agitatione & commotione rudiculâ ferreâ supra ignem lenem, *qui pulvis* autem violentiori igni traditus, in suam pristinam formam metallicam, *plumbum* scilicet, redit. Ex quibus patet, *pulverem hunc plumbi* non esse *cineres veros*, sed *metallum sive plumbum radicalis sua* *humi-*

humiditatis particulâ privatum, cujus particulæ humiditatis metallicæ privatio causa est, ut *tantillum metalli*, si *pulvis hic metallicus* igni fusorio denuò tradatur, in *scorias* convertatur, non verò in *cineres* reliquum autem pro majore parte sui in *pristinum metallum* abeat: his ita se habentibus verè liquet, quòd *metalla*, quæcunque etiam illa sint, in *cineres veros* neutiquam converti possint, sed tantùm in *scorias* vel *Crocos*, qui *Crocs* tamen nil nisi *scoria* sunt, in minutissimos atomos conversæ, & veluti in terram mortuam insipidam, è quibus *Sal aquâ affusâ* elici nequeat; & si quid etiam *aquis fortibus, acidisque spiritibus alius, scoriis dictis vel Crocis superfusis* solvatur, idipsum tamen *Salis veri* naturam non sapit, sed *soluti metalli, Vitrioli* nempè, in *scoriis* adhuc relicti: *Vitriola* autem cujuscunque metalli non sunt *vera Salia metallorum*, sed *metalla ipsa, soluta cum totâ suâ substantiâ*, quæque denuò in pristina metalla converti possunt vi ignis: Enimverò si quis vel *Auri* vel *Argenti* unciam unam in *Aquis Regis vel fortibus* totaliter solverit, *illa*, abstractâ aquâ forti nonnihil in *vitriola* totaliter convertuntur, & denuò violentiori igni commissa, in *pristina metalla* eodem numero vel pondere, eademque substantiâ redeunt: Ita etiam *Saccharum sive sal Saturni*, uti appellant, quod sive ex *plumbo ipso*, sive ex *scoriis ejusdem, Lithargyro, Cerussâ, Minio*, (quæ non ineptè *Croci plumbi* appellari possent,) beneficio aceti extractum, vel potiùs solutum sit, facillimè paulò violentiori igni traditum, in *plumbum verum* abit & redigitur. Vana proin jactantia quorundam Chymicorum est, qui metalla in sua tria principia realia, *Sal, Sulphur & Mercurium* verè solvere, eaque omnia separata & distinctè corporaliter commonstrare satagunt; quæ dulcia verba & aurea promissa me olim, multosque alios inescârunt & allexêre, haud minimo cum damno, ast vexatio dat intellectum. Adeoque his suffultus rationibus & experientiâ denuò assero, *Metalla* quæcunque illa sint, calcinari quidem posse, non verò *in cineres* converti, è quibus *Sal verum* extrahi queat, sed *quædam illorum* in *scorias* abeunt calcinata, quæ *scoriæ* autem *particulam metalli* adhuc absconditam habent, quæ beneficio cujusdam *acidi spiritus* solvi, in *vitriolum* converti, ac denuò in pristinam suam formam metallicam reduci potest.

Vitriola non sunt Salia.

ATENEO VENETO VENEZIA

Hinc porrò secunda quæstio nonnihil ventilanda se sistit, utrum nimirùm *Saccharis Saturni* extractio sit vera extractio, an verò solutio; pro cujus meliore informatione observanda sunt quæ paulò superiùs de Tincturis attuli, quòd nimirùm aliud sit *subjectum vel corpus aliquod solvere, aliud Essen-*

An Saccharum Saturni sit sal plumbi extractum,

tiam

tiam vel Tincturam ex eo elicere vel extrahere: Saccharum an plumbi itaq; Saturni habito respectu ad *calcem plumbi, Lithargyri, solutum. Cerussam, Minium*, quæ *aceto destillato* totaliter solvi nequeunt, sed major pars eorundem in residuo manet, posset dici extractum latè sumptum, interim tamen *verum solutū est metallum & plumbum*, quodq; levi operâ in *pristinum metallum & plumbum* reduci potest, quippe ex hoc perindè illud convincitur, quòd *aquâ simplici non corrosivâ* ex prædictis rebus, utpotè *Lithargyro, Minio, Cerussâ, vel plumbo calcinato, Saccharum vel sal illud* haudquaquam extrahi possit, sed *spiritu acido* opus sit, à quo *metallum*, in *scoriis illius* residuum, verè solvi, & in *vitriolum plumbi* converti valeat, quòd *Vitriolum* tamen sit *verum plumbum solutum*, patet, quia in pristinum esse sive *plumbum* reducibile. Sit itaque *Saccharum Saturni* verum *Vitriolum plumbi*, imò *ipsum plumbum solutum*; non verò *sal ex cineribus suis extractū*, quia ex ipso *crudo plumbo nec quicquam calcinato*, eâdem operâ, idem *Saccharū Saturni* vel potiùs *vitriolum*, *eodem aceto destillato* solvi & confici potest, quod ex *plumbo calcinato* vel ejusdem *scoriis*. Supereſt tertium quæsitum, utrum *hoc Saccharum*, vel potiùs *Vitriolum plumbi* edulcorari possit, repetitis solutionibus *aquâ simplici*, filtrationibus & coagulationibus, prout in processu hujus *Saccharis Saturni* studiosè præceptum est. Eam ipsam quæstionem ventilavi in præmissis Animadversionibus, ubi de *Croco Martis & solutionibus Coralliorum* egi, & mirabar sæpissimè, quòd Chymicorum plurimi, qui apicem Chymiæ tanquam Antesignani digito sese attigisse arbitrati sunt, hanc ineptam edulcorationem tàm studiosè sæpiùs præceperint, ignari, quòd si *tale Vitriolum* (vel etiam solutio) foret edulcorandum, necessariò *à suis acidis spiritibus* deberet separari, aſt *spiritibus acidis* separatis, quid in residuo manebit nisi *pristinum metallum*? in forma pulveris aquis dulcibus vel non corrosivis indissolubile, vi ignis autem in pristinam formam reducibile? itaque repetitis his solutionibus, filtrationibus & coagulationibus *Vitriola & solutiones* puriora nonnihil quidem redduntur, & à suis mixtis impuritatibus separantur, non verò edulcorantur, vel centies licet hic labor repeteretur.

Sal Vitrioli emeticum sale.

Et hæc de *Saccharo Saturni* dicta sufficiant, nonnulla dissertus de *Sale Vitrioli Vomitivo Angeli Salæ*, quod perindè impropriè *salis* nomine insignitur: Etenim *Vitriolum cæruleum* (quod me judice nihil aliud est quàm *cuprum*, quandoque etiam ex *Vena argentea* ortū ducens, in visceribus terræ *à spiritu sulphuris* solutum, quemadmodū *viride Vitriolum à vitriola communia ferri* est, eodem *spiritu sulphuris* in terræ antris dissolutū) *sine solutis*

metalla in visceribus terræ.

è *cupreis venis exortum*, majori quidem vi emeticâ & adstringente pollet, quam *viride Vitriolum*, quod potiùs facultate resolutivâ gaudet, nihilominus si idipsum *cæruleum Vitriolum* ad omnimodam spirituum acidorum expulsionem, sive destillando illud pro spiritu, sive saltem reverberando trium vel quatuor dierum spatio in igne illud detineretur fortissimo, nullo modo *sal* ex eo elici posset, quod vi emeticâ præditum esset, siquidem *tale vitriolum tùm exactè reverberatum*, & *aquâ simplici* illicò superfusum, nec quidquam *salis* suppeditat, aut ex eo elici potest, quod *Salis* aut *Vitrioli* sapiat indolem, nisi prius aliquandiu astris illud expositum & ab iis imprægnatum fuerit, tunc *sal* quidem ex eo elici potest, à *vitrioli* autem naturâ totaliter alienum, ad instar *Nitri*, quippe quod neque *Vitrioli* saporem, neque vim emeticam ullam habebit, de *quo sale* cujus naturæ sit, & quid de eo sentiam, plura egi in Animadversionibus super *Colcotharis indulcati præparationem pag.* 407. Item super *Empl. Oppodeldoch pag.* 384. Quòd si verò *vitriolum hoc cæruleum* vel aliud quodcunque leniter saltem calcinaveris, uti Author præcipit, donec nimirùm in pulverem bruneum seu obscurè purpureum illud convertatur, quæ calcinatio unius vel duarum horarum spatio absolvi potest, tùm quidem *aquâ simplici* affusâ, *sal quoad apparentiam* saltem elicietur, reverâ tamen adhuc *vitriolum* est, quod ex sapore ac cunctis ejus accidentibus & proprietatibus cognosci potest, hinc meritò illud non *sal vitrioli*, sed *vitriolum vomitivum* nuncupandum, quippe quod communiter in officinis pharmaceuticis ex *vitriolo jam dum albo*, (quod de natura lunari est,) parari consuevit, nullâ prægressâ calcinatione, sed repetitis solutionibus, filtrationibus & coagulationibus, dicitúrque *vitriolum album vomitivum*, non *sal Vitrioli*. Ex quibus denuò patet, quòd sicuti *metalla*, ita etiam *vitriola*, quæ reverâ nihil aliud sunt, quàm *soluta metalla*, calcinari nequeant, ut verè *sal* ex iis eliciendum, sed vel in *pristina metalla*, vel in *scorias* habeant, quæ *scoriæ* quandoque particulam humiditatis vel substantiæ metallicæ retinent, è quibus denuò *aquis fortibus vel spirituosis acidis Vitriolum*, non *sal propriè* solutione elici potest, in parvâ licet quantitate, pro particulâ metallicæ humiditatis in *scoriis* residua.

Absolutis *salibus* impropriè dictis, discussisque erroribus qui à multis seculis fixas egerunt radices haud in minimum initiantium Medicorum & Chymicorum detrimentum & damnum, ad *Salia vera propriè sic dicta*, undè digressus sum, reditum paro: Dixi autem superiùs *Salia vera & legitima* duplicis

duplicis tantùm esse generis, *volatilia & fixa*, & ea ipsa vel *purè salsa*, id est, *salsa salia*, vel *acido salsa*: *Volatilia Salia volatilia*, & quidem *purè salsa* ut plurimùm ex *Animalibus* destillatione promuntur; nam quæcunque *Animalia*, vel eorundem *partes* destillationi committuntur, *salia* præbent *volatilia salsa urinosa*, quorum præparationem veram & legitimam vide in Animadversionibus super Append. Class. XIIII. juxta quem modum ex *cunctis animalibus salia volatilia* eliciendæ sunt, ast caveat sibi qui *ex verè venenatis animalibus*, *vivis præsertim destillationi commissis*, similia *salia* conficere satagit, ne sibi, aliisque mortem inopinatè & inscius adscisçat, solo odore eorum percepto, cùm summè penetrabilia sint. Ex *urina animalium præcipuè hominis*, sive Vinum, sive Cerevisiam, aut limpidam bibat aquam, haud exigua quantitas *salis volatilis salsi*, prolicitur levi operâ, & hoc quidem sive *ex urina fermentata*, sive *recenter micta*: *Si ex urina recenter micta* [illegible] *quid* conficiendum, procedas hunc in modum: utpotè *urinam recenter missam* (tempore præsertim hyberno, æstate enim illicò à calore fermentatur,) indè Alembico vitreo suo capitello munito, & in B. M. ad crassitiem mellis abstrahatur, *residuum crassum* interim asservetur, donec ejus *ex magna urinæ copia* repetitis destillationibus, unâ alterâve librâ collecta fuerit, quod *cineribus* permiscendum, ac Alembico cui inest in arenam collocato igne leniissimo sublimandum est, & illicò scandet ad capitellum *sal volatile* in magnâ copiâ, sublimatio continuanda, donec nihil amplius *de sale* sursum elevari perspiciatur, excipiando quandoque *sal volatile* in capitello, ne rostro ejusdem *à sale* obstructo capitellum & alemb. dissiliat, rumpatur. Breviori viâ ii quis procedere velit, is *urinam recenter missam* evaporet saltem in patellâ ferreâ supra ignem lentum ad dictam crassitiem mellis, (nam unâ die *tantum urinæ* leniter coquendo evaporare potest, quantum aliquot dierum spatio destillando per baln. vix ac ne vix quidem abstrahi,) quod *residuum urinæ cineribus* perindè commixtum, & Alembico vitreo immissum, primùm in arenâ, secundâ vice autem in phialâ satis altâ sublimetur & rectificetur, separato prius *Oleo fœtido* quod in primâ sublimatione unâ cum *sale volatili* ad capitellum scandit, antequam per phialam rectificatur: segregatur autem *oleum* commodè *à sale* per filtrum ex charta bibula, *sale volatili* cum *simplici aquâ* soluto. Ex *Urina porrò fermentata*, si lubido fuerit *supràs dictum sal* conficere, hoc modo procedatur; nimirùm, *urina hominis sani masculi tempore æstivo aliquot dierum spatio fermentata*, Alembico vitreo satis amplo

Sal volatile Vrinæ quo modo parandum.

immittatur, ac in arena leniſſimo (ne nimium efferveſcat, aut in ſpumam converſa impetuoſe, ſiti ſolet, elevetur & tranſcendat) deſtillatio inſtituatur, quæ eò usque continuanda, quoad *ſpiritus ſalſus* guſtu percipiatur, reliquo verò vel reſiduo effuſo, *aliæ urinæ* fermentatæ Alembico immiſſa deſtilletur: Hinc copia aliqua, *hujus urinæ ſpiritûs* collecta & ſemel etiam jam dum rectificata in phiala oblonga ſatis, igne moderato, inque arena *ſal ejusdem volatile* ſublimetur, quousque aliquid de *ſale candidiſſimo* ſurſum elevari perſpicitur, quod facilè in ipſâ ſublimatione vel operatione cernere licet, aſſervetur poſteà ſtudioſè in vitro cerâ & veſicâ optimè clauſo, ſecus vel ſponte evaneſcit.

Simile planè *Sal volatile urinoſum ex ſale Armeniaco*, addito *ſale Tartari*, ſublimare iû facili eſt, uti ſuperius paulò, de ſpiritibus ſimplicibus differendo, edoctum eſt, quò benevolum Lectorem ablego. Hæc itaque *ſalia volatilia*, ſive *ex urina quadam*, ſive *ex animalibus aut eorum partibus, ſanguine, carne, oſſibus vel cornibus*, item *ex armoniaco ſale*, confecta ſint, ut ad ſcopum noſtrum collinemus, *purè ſalſa* ſunt, cùm acida averſentur, illisque contraria ſint, deſtruendo cuncta fermenta acida, & ſpiritus corroſivos omnes quos in aliud eſſe planè commutant, *illis ipſis ſalibus* recipro-cè in ſalſedine deſtructis, ac in alienam naturam converſis. Quibus morbis autem *hæc ſalia purè ſalſa & volatilia* opponenda ſint, prudens Medicus non ignorabit, is præſertim qui juxta divini Hippocratis doctrinam, *Acidum & Salſum*, non *nuda ſemper qualitates* in morbis conſideraturus eſt,

Salia volatilia acido-ſalſa.

Sequuntur *Salia volatilia acido-ſalſa*, è quorum numero pauca ſunt naturâ ſuâ, excepto *ſale Armeniaco*, niſi arte talia efficiantur, quippe quod *ſuis contrariis ſpiritibus acidis corroſivis* effectum dare licet, ſiquidem *quodcunque horum ſalium volatilium ſalſorum purè, ſpiritibus acidis & corroſivis*, ſive *Vitrioli, ſulphuris*, ſive *ſalis* ſit, junxeris, in quantitate ſufficiente, guttatim nimirùm *ſpiritus acidos ſalibus prædictis* affundendo, quousque nulla efferveſcentia amplius percipiatur, convertuntur illa in quid aliud, & efficiuntur *Salia acido-ſalſa, volatilia tamen adhuc*, quæ poſtmodùm contrarietatum neſcia totum corpus indepertitis viribus penetrare, & ad ultimas aut extremas corporis humani partes pertingere, ac inſuper omnium digeſtionum excrementa craſſa abſtergere & abradere valeant. Horum legitimam præparationem luculenter edocui in ſupracitatis Animadverſionibus Claſſis decimæ quartæ, ejusdemque Appendicis, quas Amicus Lector conſulat.

Tranſeo

Transeo ad *Salia fixa*, quæ itidem prout suprà dictum, vel purè *Salsa*, vel acido-*salsa* sunt: *Purè salsa sunt omnia lixivialia & Alkalia salia*, ex plantis, herbis, lignis, radicibus, & in genere quibuscunque vegetabilibus, *Tartaro* utpluri-mum, *prægressâ eorundem calcinatione aut combustione, inque cineres conversione parata*, quorum verum parandi modum superiùs in præmissis edocui; admotâ cautione ne *cineres sulphure* (præsertim magnâ ejusdem quantitate, juxtà indignam & pessimam cujusdam Chymiatri informationem) admixto conflagrent & calcinent, neu, quod ineptius ex ejusdem Chymiatri informatione *Salia lixivialia, Alkalia*, cum *aquâ forti* commisceant & crystallizent, quum eo modo à naturali suâ indole & alkali destruantur & in aliud quid à naturâ suâ primævâ convertantur: Etenim *fumus sulphuris ardentis*, uti ad ravim usque demonstravimus, *verus & legitimus Spiritus sulphuris* est, qui non solùm *metalla* (sulphuri huic flagranti comminxta) rodere & solvere, verùm etiam *omnia salsa & Alkalia salia* destruere, aut saltem in quid aliud naturam eorum convertere potis & efficax est, non secus ac si *ipsissimus Spiritus sulphuris* illis affunderetur, idipsum de inconsideratâ admixtione vel affusione *aquæ fortis* sentiendum est; longè enim alias operationes *salia acido-salsa*, aliàs verò *purè salsa lixivialia & Alkalia salia* virtutes sortiuntur; igitur *salia hæc* ob solam pulchritudinem, crystallisationem nimiram (hoc modo prædicto enim parata facilè in crystallos abeunt) à naturâ eorum immutare, & in nativis suis virtutibus destruere, ingentis stupiditatis specimen est, *Salia purè salsa sunt omnia Alkalia.*

Sequuntur tandem *Salia acido-salsa fixa*, è quorum numero perindè *naturalia talia* sunt, *& arte talia parata*: Inter *naturalia talia* sunt *sal commune*, *sal Gemmæ*, & ferè *omnia salia terræ & maris*, *Nitrum* itidem, quod potius inter *hæc salia fixa*, quàm *volatilia*, rationibus minimè destitutus colloco: hæc inquam *salia* reverà *acido-salsa*, non *purè salsa* esse, facilè experientiâ & rationibus demonstrari potest; nam cùm *acida* & *salsa* tantoperè invicem contrarientur, ut ubi ubi sese mutuò attingunt, se invicem etiam destruant, quod ex *omnibus acidis & salsis liquoribus* invicem commistis luculenter patet, hæc autem *denominata salia spiritus acidos* non solùm non destruant illis permixta, verùm cum iis conjunctim destillata eos potentiores & acidiores reddant, quid evidentius in rerum naturâ esse potest, quàm quod *his salibus* jam dum *de aciditate* tantùm fuerit insitum, quantùm illis naturaliter competit, huic plus, alteri minus, ad unius cujusque speciem, & providæ Naturæ in terræ *Salia acido-salsa fixa.*

viſceribus ordinationem, ac naturalem *ſalium* ſuſceptionem. Porrò ex *iisdem ſalibus acido-ſalſis fixis ſpiritus acidi corroſivi* deſtillatione facilè eliciuntur, *ex ſalibus verò purè ſalſis* nequaquam, quamvis plurimi Chymici in hac ſententia hucusque detineantur, verùm falluntur, ſiquidem ultra rei cujuſcũ inhærentias naturales, è re aliquâ quidquam extrahere poſſe, repugnat Philoſophicis & Naturalibus principiis, & viceverſa.

Concludunt tandem doctrinam hanc *de ſalibus, ſalia fixa acido-ſalſa arte ſaliæ laborata*, è quorum ſerie *Tartarus Vitriolatus*, ſeu potius *ſal Tartari vitriolatum* unicè ſe offert, quod in uſu & parari ſolitum in officinis pharmaceuticis, quamvis *omnia ſalia fixa purè ſalſa*, eodem modo vitriolari (ut ita more conſucto loquar,) poſſent, & à naturali ſuâ indole immutari, ſi exiniæ in iiſdem virtutes, taliter immutatis, eluceſcerent. *Tartari Vitriolati* dexterrimam præparationem abſterſis erroribus in ejuſdem deſcriptâ præparatione commiſſis traditi in præmiſſis ſub proprio titulo, quas conſulat Lector Amicus.

Reſtant *Salia ſalſa fixa, propriis ſpiritibus acidis eſſentificanda*, quæ perindè inter *ſalia fixa acido ſalſa* connumerari, ac ex quolibet Vegetabili parari poſſent, de quibus quidem haud pauca dicenda, & plurima notatu digna medicamina annectenda forent, verùm cùm alias cornu copia adſit præſtantiſſimorum medicamentorum, nonnulla ſilentii involucro pro nunc commiſſa volo, Colophonem doctrinæ de Salibus imponens, cui tamen benevolus Lector quæ in præmiſſis Animadverſionibus eâdem de re edocta ſunt, adjungere, & exindè plenariam informationem haud difficilè capere poteſt.

De Floribus Chymicè paratis plura addere, præter ea quæ præmiſſa ſunt, haud neceſſarium duximus, idcircò ad ultimam Mantiſſæ claſſem, quæ de Pulveribus Chymicè præparatis, præcipitatis, ſublimatis, &c. agit, tandem celeri pede tranſeo, pro cujus ſupplemento pauca *ex Antimonio* conficienda medicamenta ſuperadditurus ſum, cætera de Pulveribus aliis huic Claſſi contentis, notatu & ſcitu digna præmiſſæ Animadverſiones habent edocentque, quas Lector adeat. Dixi in præmiſſis ſuper Syrupum emeticum Angeli Salæ, quòd ſi quis *Antimonii vim venenatam* verè infringere velit, *aromatum* additione id non tentet, ſed ope *ſalium Nitri* correctionem ejus inſtituat, proindè pro confirmatione ejuſdem aſſertionis, nonnulla talia medicamenta antimonialia, præſtantia æquè ac ſecuriſſima publico donare è re Lectoris ſcire avidi fore judicavi, cùm pauciſſima alias vomitoria medicamenta, blandè &

ſecurè

securè operantia, in officinis pharmaceuticis prostent, præsertim *ex Antimonio*, quæ legitimè correcta sint, ut tutò & securè a quibusvis delicatioribus etiam & Junioribus intra corpus sumi possint; hinc factum est, ut ipsi etiam Medici vomitoria medicamenta, ac eò magis quæ *ex Antimonio* confecta, summoperè abhorreant, neve in summâ necessitate ea præscribere audeant, cùm tamen alias præsentissimum præsidii genus sit per vomitoria, corpora saburrâ humorum excrementitiorum (quæ ferè magis sursum, tanquam viâ quâ eundum compendiosiore, quam deorsum per tot intestinorum mæandros vergere solent, si præsertim ex recentibus corruptis assumptis siot de genere biliosorum & serosorum) plena evacuare. Etenim à priscis & verè antiquis medicis in longè frequentiore usu & laude habita sunt vomitoria medicamenta, quam à modernis plurimis, quippe hi ea tanquam summè nociva vel ob leviss imam ægrotorum indispositionem, vetant potiùs, quàm quòd illa vel tantillum commendare, uti digna, aut in usum trahere dignentur; verùm quantoperè necessaria & salutaria sint vomitoria debitè & frequenter exhibita, non meas adducam millenas experientias, (quarum vel nulla malè cessit,) sed venerandæ Antiquitatis præcepta, ac insuper Modernorum quorundam hujus seculi Classicorum, uti vocant, Authorum de Vomitoriis encomia, qui talia habent, utpotè *Hippocrates lib. 4. Aphorism. 17. Si cui febris experti evenit cibi fastidium, & stomachi morsus, & tenebricosa vertigo & oris amaritudo, huic purgatione per superiora opus est. Idem eodem libro, Aphorism. 18. Dolores seu affectiones quæ partibus supra Diaphragma obortuntur, quacunque purgationis sunt indigentes superiore pharmacia opus esse significant: quæ verò infrà, purgationem infernam requirunt.* Item, *Fernelius Meth. med. lib. 3. cap. 3. Quæ verò facilis & moderata obtigerit, saluberrima est, & purgationum omnium præstantissima,* (loquitur autem de Vomitoriis) *noxios quippe humores ex ipsis fontibus sinceros elicit & vacuat, omnem quæ in ventriculi capacitate in ejusve tunicis haret illuviem imprimis expurgat, è præcordiorum membranis, è cavis jecoris ac lienis, & ex pancreate omnis generis supervacuos humores sinceros elicit; quos plerunque nec hiera nec aliud vehementissimum ullum etiam frequens pharmacum in alvum exturbare potest. In ventriculum enim ex his locis via breves ac expeditæ magis quàm in alvum directæ sunt, per quas facilis est vomitio. Quanquam autem primum ab interioribus evellit, consecutione tamen caput, reliquumque corpus levat. Quocirca omnibus opitulatur affectibus, qui à præcordiorũ impuritate ortum*

ortum acceperunt, languentis appetentiæ, nauseæ cibi fastidio, crebræ vomitioni, ventriculo præcordiisque distentis, rctero, cachexia, febribus intermittentibus, hemicrania, vertigini, incubo, epilepsia, suffusioni, omnibusque capitis affectibus, qui præcordiorum sympathia contracti sunt, & quos è præcordiis in reliquum corpus effusa impuritas protulit. In quocunq; igitur affectu languescit appetentia, vomendiq; desiderium fatigat, si pharmaco non satisfit, vomitione curandum. Nam quæ purgatio non eluit, vomitio exstirpat, & quæ illinc non facilè labuntur in alvum, prompte in ventriculum remeant. Tanti igitur vomitionis vis æstimanda. Porrò iis qui vomitoria vel penitus excludere nō verentur Medici, Quercetanus respondet, rationibus illorum rejectis & explosis, in Pharmacopœia dogmatica restit. *lib. 1. cap. 16. sequentibus: Vacuatio per vomitum in longè majore frequentiore q; usu erat, quàm jam apud nos. Nonnulli inter Medicos recentiores eam idcirò abdicare videntur, quòd corpus plus æquo, ut opinantur, commoveat & disturbat, nec non molestissima plura inducat symptomata: adducti præterea his rationculis, nostras nationes multò frigidiores esse quàm Græcorū, cujus nationis Hippocrates frequentissimè eadem vacuatione utebatur, & infiniti post illum alii Græci Authores ipsius exemplū secuti: addunt etiam homines nostrarum Regionū esse multò pituitosiores & minus ad vomitum proclives. Sed his rationibus & argumentis parum ponderis inesse nemo non videt, quocirca tanquam frivola explodentur, cùm econtrà hujus vacuationis usus utilissimus & summè necessarius sit ad plurimos affectus gravissimos & desperatos profligandos licet vel in remediis concitari debeat, quæ timidulis illis & meticulosis Medicis ex auditu tantùm incutiunt horrorem. Sed quomodo se naturæ amicos illi jactitant, cum reliquis iis quæ maximæ agendi vi & potestate excellunt, quorum q; ne periculum quidem facere audent, potius ejusdem sint inimici? Sic enim tantū naturæ sunt adulatores, qui imbecillis nimis & invalidis præsidiis eam frustra propugnare conantur, nec potentibus satis armis illius hostem ferocissimum adoriri cogitant: qui interim velut invictus cuncta illorū eccoprotica, imò blanda & adulantia ridet & respuit, quibus elisis vix secundò ad eadem auxilia refugere audent.*

Omnium autem maximè & sat distinctè, adjunctis quibusdam cautelis, vomitoriorum laudes, utilitates & præstantiam in operando dipingit *Angelus Sala in singulari quodam tractatu Germanico, quem fundamentalem explicationem quorundam præstantissimorum medicamentorum Chymicorum intitulat, impresso Anno 1624. in Wandesbeck Danorum*, quem Lector curio-

curiosus pro majore informatione consulat. Verùm enim verò cùm præter laudes utilitates & præstantiam in operando dicti prælidii vel medicamenti generis a Viris sipracitatis Celeberrimis pauca superadditа sint, quæ ad scopu nostrum collimarent, de quo non pauci conquesti sunt huc usq;, nos supplementũ sine invidiâ & cupidine lucri ut illis superadderemus, nostri & Christiani in rem Medicam officii interesse putavimus, & sint sequentia utplurimùm ex Antimonio dextrè elaborata medicamenta & legitimè correcta, ita ut tutò & securè tùm senibus tùm junioribus, infantibus nec non, adhiberi possint. Utpotè:

PULVIS EMETICUS CORRECTUS.

Recip. *Vitri Antimonii sine additione legitimè paratì unciας duodecim,*
Nitri purissimi unciας tres semis,

Singula prius seorsim in pulverem redacta, commisceantur exactè, post collocetur ollula non vitreata intra carbones accensos vel ardentes, cui, si candet, *de superiore pulvere* cochlear unum post aliud pedetentim inspergatur, donec omnia paulatim immissa & candefacta sint; remotâ dein. ollulâ ab igne & refrigeratâ materiâ quæ flava veluti vel albicans apparet, pulverisetur, & cum *aquâ tepidissimâ*, (non *calida minus aut fervidâ*, quod studiosè observandum, secùs vis emetica ejus tota tollitur,) edulcoretur, & quidem confestim, nedùm *aquâ immersa materia edulcoranda* hæreat, sed quamprimùm fundum petierit *pulvis*, aqua ab eo decantanda ac pulvis impalpabilis siccandus est. Observandum etiam quòd ponderosior ejusdem pulveris particula quæ illicò in edulcoratione dum aqua cum leviori magis & impalpabili pulvere decantatur, fundum petit, separanda sit, ne pulveri impalpabili permixta maneat.

Hoc *Antimonium taliter paratum* nobile & securissimum vomitorium est, ita ut infantulis competenti in dosi per infusionem, vel in Syrupum modo sequenti redactum, tutò propinari possit. Dosis *à granis XV. ad scrupulum* pro adultis, cum *unciis circiter tribus Vini fervențis* infusum per noctem, *quod Vinum* manè à *residente pulvere* clarum decantari aut filtrati poterit, pulvere in fundo relicto: Junioribus verò decem vel duodecim annos natis, *scrupulus semis pulveris, & vini fervențis uncia una semis:* Infantibus autem duorum circiter vel trium annorum, *grana quatuor, quinque vel sex,* cum *drachmis quinq; vel uncia una vini fervențis* infusa sufficient. Verùm cùm nonnulli abstemii sint, *vinum q;* abhorreant,

poterit unica saltem dosis *hujus vini emetici*, scil. *unciæ tres cum Sacchari albi unciæ una*, in Syrupum percoqui, cui refrigerato Syrupo si lubet, *Aquæ Cinamomi* vel *Rosarum portiuncula* pro odore & sapore grato ipsi conciliando admisceatur, & in vehiculo ad lubitum Patientis vel assumentis propinetur. Syrupum ex illo pulvere emetico correcto, qui imposterum in officinis prostare posset, traditurus sum in Appendice sequenti Dispensatorii novi, quam Lector Amicus ibi reperiet.

ESSENTIA EMETICA EX EODEM PULVERE PRÆDICTO.

Recip. *Pulv. emetici jamjam superiùs edocti unciæ duæ semis*,

Ex quo cum

Vini albi libris sex,

Repetitis tamen vicibus affusi, extrahatur in calore ut *vinum* veluti ferveat, essentia, & vis emetica; *huic Vino virtute vel vi emetica pulveris dicti impregnato* adde

Olei Tartari Doctissimi Sennerti, ad siccitatem autem salis nigricantis abstracti, (cujus descriptionem quære p. 440. Mantissæ) *unciæ sex*,

Et denuò ad siccitatem *salis* leniter evaporent, hoc sal dein in locum frigidum collocetur, ut in liquorem solvatur, quod brevi admodum contingit, filtretur liquor per chartam emporeticam, & usui asservetur: cujus dosis drachma una ad drachmas duas vel tres, cum aquâ aliquâ laxativâ, vino vel alio vehiculo conveniente & grato. Infantibus scrupulus dimidius ad scrupulum unum, sine ullâ pertimescentiâ diri alicujus effectûs propinari potest, felici cum successu, si debito tempore, viribusque nondum prostratis exhibeatur, illudque Hippocratis observetur, *si quid movendum est, moveatur in principio, &c. Eòque ducatur, quò natura vergit.*

Notandum de *hoc pulvere correcto*, & de aliis medicamentis ex eo paratis, quod non per superiora tantùm, sed etiam per inferiora operetur, quandoque & in quibusdam subjectis tantùm per inferiora, aliquando & rarò solùm per superiora, &, ut millies millies expertus sum, ubi materiam excernendam dispositam deprehendit, indè eam quâ vergit evacuat & expellit.

Notandum præterea, quòd si quis hoc pulvere emetico correcto careret, licet paratu facilis sit, ejus loco *Flores Antimonii albos* substitui posse, pro supradictâ Essentiâ, sed in minori paulò quantitate (*drachmæ sex* circiter accipiendo

Florum

Florum pro *uncia una dicti pulveris*) cũ *illo pulvere correcto* paulò violentiores sint, sunt que *hi Flores Antimonii*, uti alibi etiam notavi, *verus pulvis Algaretti*, licet nonnulli qui de eo scripsere, auri sobolem illum nuncupent & quidem meritò, cùm *Stibii Antimonique* nomen apud aliquos Artis pulcherrimæ osores, præsertim ignorantes, tàm malè audiat, ut qui solummodo illud ore excidere permittit, mox è cœtu medentium proscriptus ad veneficos amandetur: quia tamen hoc de *Antimonio* judicium non in alia officina, quam Cerebri ad Lunæ crescentis & decrescentis mutabilitatem tornati excuditur, & vix alius de re magis perversè & perfrictâ fronte loquitur, quàm qui ejusdem minimam habet cognitionem, idcircò nullo canum similium hoc sidus allatrantium convicio à veri tramite dimotus, hoc in præsens asserere non erubesco: *Antimonium* verè unam & principalem esse columnam universæ Medicinæ, quippe ex eo tanquam Protheo, diversis duntaxat præparationibus, diversarum operationum medicamenta saluberrima, utpotè *Antiloimica*, *Antivenerea*, *Diaphoretica*, *Purgantia & Vomitoria blanda*, *sanguinem universum mundificantia*, *Vulneraria*, *pectoralia*, imò *universale medicamen seu Panacea ipsa* erui possunt. Nec constat *ex Vegetabilibus* unicum emeticum, quod minore cum periculo exhiberi possit, quàm *Antimonium dextrè & debitè præparatum*, nunquam enim tormina ventris, convulsiones, hypercatharsin, fluxumque nimium colliquativum, causabit, etiamsi vel aqua frigida superbibatur; ipse enim ego soleo utplurimùm post peractam similis vomitorii operationem, si sitis urgeat. *Julapium* vel *aquam frigidam crudam*, cum pauxillo *Saccharo*, *Succo Citri*, *Corticibus Citri*, *& Spiritu Vitrioli* permixtam, ægrotantibus studiò propinare, nunquam non cum successu felici.

Suppetit experientia adhuc aliud medicamentum ex *Antimonio & Tartaro*, quod tale:

TARTARUS EMETICUS PURGANS.

Recip. *Vitri Antimonii sine additione n.m. parati uncias quatuor,*
Nitri purissimi unciam unam,

Mixta & in pulverem redacta detonentur, uti supra edoctum, materia calcinata flava pulverisetur subtiliter, cui adde

Salis Tartari puri uncias quatuor,
Aquæ simplicis libras tres,

Et

Et in vaſe terreo, vel vitreo, coquantur, ſpatulâ continuò illa agitando, ad totalem ſiccitatem *ſalis & pulveris*, hinc ſolvatur *maſſa hæc ſalina* cum *aquæ ſimplicis ſ.q.* ſolutum filtretur, clarumque reddatur, & à pulvere ſeparetur, quod denuò ad ſiccitatem priſtinam *ſalis Tartari* evapora; *Huic ſalis virtute emetica impregnato* inſtilla guttatim

Spiritus Vitrioli q. ſ.

Quouſque nulla effervescentia amplius percipiatur, quo ſigno apparente exſiccetur *maſſa ſalina* leniter in vitreo vaſe, & in pulverem tandem redacta uſui aſſervetur, cujus doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.

CREMOR TARTARI PURGANS.

Recip. *Vitri Antimonii ſine additione n.m. parati uncias quatuor,*

Nitri puriſſimi unciam unam,

Mixta inque pulverem redacta detonentur, ad modum ſuprà edoctum, *materiæ reſiduæ flavæ* in pulverem ſubtilem redigatur, & *in menſuris duabus vini albi & clari* parum coquantur, colato poſt & à pulvere ſeparato *vino* immerge

Cremoris Tartari uncias quatuor,

Et Alembico vitreo immiſſa, in arena vel veſica cuprea ſtanno obducta coquantur ad diſſolutionē *dicti Cremoris Tartari*, ac in illo ipſo vaſe ſenſim refrigeſcere permitte, ut nonnihil cryſtallicetur *Tartarus*, qui refrigeratis omnibus eximendus, à liquore ſeparandus, & ſiccandus eſt, inque pulverem redigendus.

Nota: Ad eundem modum *Cremor Tartari* variis rerum virtutibus imbui poteſt, cum ex Mineralibus tùm Vegetabilibus depromptis.

Quod ſi quiſpiam autem quærat, in quem hoſtem hęc ex Antimonio deprompta tela & remedia dirigi, & ad quos morborum inſultus hebetandos & repellendos primâ acie collocari debeant, is adducat præclariſſimos Scriptores, Salam quæ de Roſa ſua Minerali habet; Schröderum quæ de Floribus Stibii ex plurimis Authoribus collecta refert: Quæque denique ſolertiſſimus Glauberus de *Antimonio* plurimis in locis inculcat, eorum inquam modeſtò calamò & moderatis encomiis, laudes hiſce remediis partem attribuat, & minimè à veritate deviabit, nec quid adverſi experietur, dummodò quibus, quando, & quantum conveniat, & ex legitimæ methodi præceptis exhibendum ſit, probè diſpiciat & aſſequatur.

Si verò non nemo *in Antimonium*, ejuſque è Medicina extirpationem ignarus juráſſet, illi ex Vegetabilibus Elixir quoddam Emeticum communicare vel addere non detrecto, quod modo ſequenti parandum: ELI-

ELIXIR EMETICUM VEGETABILE,
vel ex Vegetabilibus.

Recip. *Cord. rad. Esulæ recentium uncias duas,*
quibus superaffundantur
Aceti destillati uncias quatuor,
Et in vitreo vase, aceto leniter exhalato, denuò exiccetur;
His superadde
Radicum Asari uncias tres,
Contundantur *ambæ radices* in pulverem grossum, & cum *s. q. spiritus vini* repetitis vicibus affusi, extrahatur earum essentia tota, quousque nimirùm *spiritus tingatur: Extractiones omnes* in Alembico vitreo ad consistentiam Extracti abstrahantur, *quod Extractum* de novo solvatur cum
Aquæ Cinamomi opt. ex vino still. unciis tribus,
Ac per chartam bibulam filtretur, usuique asservetur.

ALIUD ELIXIR POTENTIUS HELLEBORINUM.

Recip. *Radic. Helleb. nigri uncias quatuor,*
Helleb. albi unciam unam semis,
Quibus parùm contusis superaffunde pro correctione
Aceti stillati uncias octo,
Et *aceto* prius leniter in vitreo vase exhalato, non effuso *radicibus*, exsiccentur; Quæ postmodum cum *s. q. spiritus vini* repetitis vicibus affusi extrahantur, ad omnimodam earum virtutum prolectionem, & quousque *spiritus affusus* colore inficitur: Extractiones omnes in Alembico vitreo ad consistentiam Extracti abstrahantur, *extractum residuum* cum
Aquæ Cinamomi addito vino destillati unciis sex,
Denuò solvatur, filtretur, usuique reponatur.

Pro Colophone hujus Appendicis in Mantissæ Animadversiones, Medicamentum reale, citra etiam constitutum meum, Tibi, Lector Amice, communico, quod tale:

Recip. *Vitrioli Hungarici cærulei, vel etiam*
Vitrioli Veneris ex cupro parati q. s.

Quod debitè calcinatum, destillerur per retortam vitream optimè lutatam, vel Waldenburgensem, *in Spiritū vel Oleum subrubrum*, spatio trium vel quatuor dierum, ultimò per diem & noctem vel diutiùs extremâ ignis violentiâ, ad omnimodam radicalis humiditatis expulsionem, Spiritu hoc vel Oleo egresso, interimque asservato, excipiatur è retorta *caput nigrum planè insipidum*, & aëri, astrisque illud sesquimestri

spatio

ſpatio exponatur, interdiu autem à Sole præſervetur; hoc facto ſuperfundatur illud *aqua pluviali vel rore majali & Sal elicietur de vitrioli natura planè alienum, ad inſtar Nitri, guſtu amabili*, quod interim aſſerva. Poſteà accipe *antedictum deſtillatum ſpiritum*, qui *cum Aquâ ſimplici vel pluviali* permiſceatur, ac in ea *Martis vel Chalybis limatura vera, nullâ re heterogeneâ permixta* ſolvatur, *Martiſque Vitriolum viride*, uti moris efficiatur, quod ſemel atque iterum in aquâ pluviali ſolutum, & denuò cryſtallizatum purum & ſplendidum reddatur.

Ex *his cryſtallis* vel *Vitriolo Martis*, denuò modo priore, igne fortiſſimo per aliquot dies noctesque ad omnimodam & totalem radicalis ſuæ humiditatis expulſionem, *Oleum vel ſpiritum deſtillat rubicundum*, qui optimè dephlegmatus interim aſſervetur & cuſtodiatur.

Porrò *ex capite mortuo, omni Vitrioli ſapore* (quod benè obſervetur,) *libero, ab aſtris uti ſuprà impregnato*, eodem modo quò ſuperiùs extrahe *ſal guſtu amabile nitroſum*.

His *duobus ſalibus & ſpiritu rubicundo legitimè paratis*, porrò ejus conjunctionem aggredere, modo ſequenti.

Accipe igitur *de duobus ſalibus ſuprà aſſervatis ana unciam unam*, quibus optimè mixtis & vitro apto immiſſis, ſuperaffunde *ſeminis virilis vel ſulphuris rubicundi*, aut *ſanguinis Leonis ſuprà etiam parati unciam ſemis*, item addantur vel adjiciantur, *Croci Solis ſimpliciter parati ad mentem noſtram vel Glauberianam drachmæ duæ*, tum vitro hermeticè ſigillato, igni philoſophico admoveantur, qui ſecundum gradus regatur continuò, quoad materia coaguletur in unam maſſam, vel lapidis formam.

Quem Lapidem in fontina priore dilue, vaſi novo include, & brevi tempore illuſtriorem nobiliorémque redde.

De cujus præſtantiâ ac virtutibus conſule Minſichtium, in deſcriptâ Unicornu mineralis præparatione.

His ultimam hanc Claſſem Mantiſſæ hancque Appendicem finio; Tu interim, quiſquis es Lector candide, hæc qualiacunque, quæ ultrò in Tuum & Ægrotantium commodum meditari & addere conatus ſum, eo animo accipias rogo, quo profecta ſunt, nimirùm candido & ſincero, Tibique & Toti Facultati Medicæ inſerviendi promptiſſimo: Quod ſi verò nonnulla haud arrideant, ea tamen interim boni conſulas, donec ipſa experientia & veritas, quæ verè mihi norma & laboris hujus duces & comites fuêre, meque ab omni livore & contumeliâ vindicaturæ ſint, pluraque & realia magis ſuppeditent atque his fave & vale!

APPEN-

APPENDIX IN PHARMACOPOEIAM REGIAM, SEV DISPENSATORIUM NOVUM.

APpendicem ad Animadversiones in Pharmacopœiam Augustanam, Minervâ Divini favoris haud invitâ absolvimus; sed & Pharmacopœiæ Regiæ adjicere nonnullas compositiones nunc è re operis hujus erit, scopoque præfixo consultum. Illarum equidem plurimas quod attinet, cùm ad Pharmaceuticum tùm Chymicum dextrè, verè & genuinè præparandi & elaborandi modum, effingere & dispensare possem formulas, id quod cuique in tantâ Materiæ Medicæ ubertate, & spatiosissimo Naturæ Theatro, non corticetenùs, sed enucleatiùs, versato Philosopho nequaquam foret difficilè: Sed paucas tantummodò, easque non nisi propriò Marte, manualique operâ sæpiùs elaboratas, tùm usu etiam longo, atque omnis doctrinæ Experientiâ Magistrâ comprobatas, ad illas quæ Pharmacopœiæ Regiæ limitibus abundè satis circumscriptæ jam prostant, addere allubitum est, ut non laboret copiâ is, qui in paucitate efficaciam reperturus est majorem, dum interim alius de pluralitate consarcinanda solicitus, multitudine obruitur receptarum, habebit Rationalis Medicus etiam in paucis, unde tanquam ex Armamentario contra ingruentium morborum ferociam, arma & tela depromere sibi queat. Tandem ne benevolus Studiosus inquisitione tædiosâ in ambarum Appendicum Labyrintho veluti oberret, sed Ariadnæo quasi filo quò velit liberè ducatur, specialem omnium rerum notabilium, compositorumque medicamentorum indicem appono. Demùm ex omnibus tractatibus catalogum seu fasciculum medicamentorum Antipestilentialium recollectum, ut quorum usus in morbis malignis contagiosisque, ipsâ adeò pestiferâ lue prorsus est necessarius, benevolus Lector omnia velut uno intuitu ob oculos sibi posita habeat, Colophonis vice adjiciendum existimavi. Tu interim utere & fruere cum DEO.

AD

AD CLASSEM PRIMAM,
DE SYRUPIS ALTERANTIBUS.

SYRUPUS DE ABSYNTHIO HYDRAGOGUS.

Recip. *Succi Absinthii nostratis libram unam.*
Epaticæ nobilis,
Agrimoniæ ana unc. octo,
Iridis cæruleæ nostrat. libr. unam semis.

Quibus infunde sequentia incisa & contusa:

Rad. recent. Ebuli unc. octo,
Calami aromat. unc. unam semis,
Galangæ drachm. decem,
Rosarum rubearum recent. uncias duas,
Baccarum Iuniperi unc. unam,

Et factâ unius diei digestione coquantur ad consumptionem libræ unius semis, colaturæ expressæ, & albuminibus ovorum clarificatæ adde

Sacchari albi Canarii libras duas,

Et denuò ad Syrupi liquidioris consistentiam decoquantur, addendo ultimò pro aromatisatione

Elæosacchari Cinamomi,
Maceris,
Caryophillorum ana unc. unam,

Sumendo *drachmam unam*, vel ad minimum *scrupulos duos* Olei pro *uncia pulveris sacchari*, ad Elæosacchara conficienda. Et fiat Syrupus justæ consistentiæ; Cachecticis & Hydropicis salutaris, cujus uncia una vel altera pro dosi frequenter exhibita hepar insigniter roborabit, ut & lienem.

Nota: Quòd Syrupus de Absinthio, Pharmacopœiæ Regiæ infertus, pro abstemiis qui *vinum* abhorrent, *amisso vino*, cum *Succo Cydoniorum* parari, vel in modum sequentem simpliciter confici possit, utpote:

Recip. *Succi Absinthii nostratis libram semis,*
Cydoniorum recenter expressi & defæcati libras duas,

Quibus immerge incisa & contusa crassiusculè, utpotè:

Absinthii recentis unc. quatuor,
Menthæ crispæ recentis unc. tres,
Calami aromat. recent. unc. duas,
Galangæ unc. unam,

Rosa-

Rosarum rubearum unc. unam semis,
Spicæ Indicæ unciam semis,

Et factâ digestione duabus circiter diebus, coquantur ad remanentiam *libræ unius semis*, coletur, exprimanturque species, *colaturæ expressæ ac albumi ovorum opt. clarificatæ* adde

Sacchari albissimi libram unam semis,

Et denuò ad Syrupi liquidioris consistentiam percoque, cui pro aromatisatione adde

Elæosacchari Cinamomi,
Caryophillorum,
Nuc. Moschat. ana drach. sex,

Fiat Syrupus Stomachalis præstans, qui ipse si libuerit, *Spiritu Vitriols aut Salis* ad gratam aciditatem acui poterit.

SYRUPUS DE CORALLIIS.

Recip. *Magisterii nostri Coralliorum veri solubilis suprà edocti, uncias duas semis,*

Quod solvatur in

Aquæ Cinamomi optimæ unciis undecim,

(si mulieribus vel fœminis destinatur Syrupus, sin verò morbis calidis pro corroboratione adaptandus erit, substituatur pro *Aqua Cinamomi, Succus Granatorum recenter expressus,*) & additâ

Sacchari albissimi libra unâ,

Fiat solâ dissolutione *Sacchari*, sine ullâ ebullitione Syrupus.

Nota: Quòd Syrupus hic ad præscriptum modum paratus, situm nullatenùs contrahat, licet liquidiorem, quàm Syrupis alioquin conveniat, consistentiam adeptus fuerit.

Ad eundem præterea modum ex *Margaritis orientalibus*, ùt & ex aliis *lapidibus pretiosis & gemmis, in Magisteria vera solubilia prius conversis*, Syrupi, vel in momento dextrè confici possunt; *Liquor* verò quo cum Magisteria sunt dissolvenda, variari potest, pro conditione morbi & intentione Medici, cùm illa in omnibus Succis, aquis destillatis, vino & similibus liquoribus sint solubilia.

SYRUPUS GEMMATUS CORDIALIS CALEFACIENS.

Recip. *Corticum recent. Citri extim. uncias tres,*
Aurantiorum extim. unc. duas,
Florum recent. Rosarum Damasc. unc. quatuor,
Tunicæ unc. duas,

Quibus minutim concisis, ac concurbitæ vitreæ immissis, superaffundantur

Vini albi veteris bonis libras duas,

Factâque brevi digestione, destilletur per arenam ferè ad siccitatem specierum infusarum; *Aquæ prolectæ fragrantissimæ* porrò immerge

Cortic. recent. Citri extim. uncias duas,
Aurantiorum extim. unciam unam,
Florum recent. Tunicæ rubr. uncias duas,
Sem. seu Granorum Kermes legitim. unc. semis,

Stent. in infusione unâ alteravè die, tum fiat colatura

Hujus Aquæ odoriferæ rubræ & essentificatæ accipe libram unam semis,

ac in ea dissolve

Magist. nostr. solubilium in hac Appendice fideliter edoctorum, utpote:

Coralliorum rubeorum unciam unam,
Perlarum orientalium drachmas sex,
Lapid. Rubini,
Granat. ana unciam semis,

His solutis superadde

Sacchari Canarii albissimi libras duas,

Ac solâ ejus dissolutione, sine ullâ ebullitione Syrupus conficiatur, Cor, Vitales & Animales Spiritus insigniter roborans & recreans, Regium revera medicamentum.

SYRUPUS GEMMATUS CORDIALIS REFRIGERANS.

Recip. *Succi Granatorum acido dulcium recenter expressi libram unam semis,*

Cui immerge

Cortic. Citri recent. extim. uncias tres,
Flor. Tunicæ recent. rub. unc. duas,
Granorum Kermes legitimorum unc. semis,

Ac factâ digestione, die unâ vel alterâ, in calore leni coletur, in colatura dissolve.

Magist. nost. solubil. Coralliorum rub. unc. unam,
Perlarum orient. drachm. sex,
Lapid. Rubin.
Saphyr.
Smaragd. ana drach. duas,

His solutis adde

Sacchari Canarii albissimi libras duas,

Ac solâ *Sacchari* dissolutione, sine coctione, fiat Syrupus Cordialis efficacissimus.

SYRU-

SYRUPUS HYDRAGOGUS.

Recip. *Succ. Rad. Iridis noſtrat. Cærul. depurati libras quatuor,*
Sambuci depurati liram unam ſemis,

Quibus immerge ſequentia inciſa & contuſa vel conquaſſata, nimirùm:

Rad. recent. Ebuli unc. quatuor,
Enulæ unc. duas,
Calami aromat. unc. unam ſemis,
Cord. med. Sambuci uncias duas ſemis,
Baccar. Iuniperi uncias duas,
Alkekengi unciam unam ſemis,
Sem. Vrticæ,
Bardanæ majoris,
Naſturtii ana unc. unam,

Factâ digeſtione coquantur ad remanentiam libræ unius ſemis, coletur & exprimantur ſpecies, *colaturæ clarificatæ* adde

Sacchari albiſſimi libras duas,

Et denuò coquendo ad juſtam conſiſtentiam Syrupus efficiatur.

JULAPIUM VEL SYRUPUS DE VINO.

Recip. *Vini albi boni vel Hiſpanici libras tres,*
Cui immergantur
Florum Roſarum recent. uncias quatuor,
Vel:
Cort. Citri recent. extim. uncias tres,

Ac factâ aliquali ſaltem digeſtione, abſtrahantur per Alembicum deſtillando libræ duæ, *quibus duabus libris abſtractis*, abjecto quod in fundo Alembici remanſit, denuò adde

Vini albi vel Malvatici libras duas,
Roſarum recent. aut ſale condit. unc. tres,
Vel:
Cort. Citri recent. extim. tantundem,

Abſtrahantur porrò in Alembico libra una ſemis, vel libræ duæ; roſtro autem capitelli prius immiſſis,

Ambræ gryſeæ ſcrupulo ſemis,
Moſchi orientalis granus quinque,

Prolectæ aquæ ſpirituoſæ fragranti adde, & quidem pro ejus libra una ſemis,

Sacchari albi Canar. libras duas,

Vel pro *libris duabus liquoris, libras duas cum dimidia circiter Sacchari*, & solâ ejusdem dissolutione conficiatur Julapium, vel Syrupus, qui & *sine Ambra vel Moscho* pro illis qui eorum odoribus offenduntur parari potest, & pro grato sapore *Spiritus Vitrioli nonnihil* addi.

AD CLASSEM SECUNDAM, DE SYRUPIS PURGANTIBUS.

SYRUPUS EMETICUS EX VINO ET ANTIMONIO CORRECTO.

Recip. *Pul. nostri Antimonii correcti suprà edocti uncias tres,*
Extrahatur ejus essentia aut vis emetica, cum

Vini albi ferventis libris sex,

Nam *aqua simplex sive destillata* per se vim emeticam ex hoc pulvere nequaquam elicit; filtratione pòst aut residentiâ *vino à pulvere separato*, adde

Sacchari albi uncias viginti,

Et in Syrupum liquidioris consistentiæ decoque, cui, pro odore & sapore grato ipsi conciliando, porrò adde

Elæosacchari Cinamomi vel
Rosarum uncias duas,

Fiat Syrupus.

Dosis uncia una, vel uncia una semis adultis hominibus, at Junioribus, pueris & infantibus drachma semis, drachma una, ad drachmas tres, pro ratione ætatis securè propinari possunt.

Nota: Si quis *Pulvere hoc Antimonii correcto* destitutus, *Flores Antimonii albos ritè paratos* substituere vellet, is accipiat ad tantam quantitatem *Sacchari & Vini, Florum dictorum Antimonii alb. uncias duas*, & paretur Syrupus ad modum supradictum.

Pro Abstemiis qui *Vinum* abhorrent, Syrupus dictus *ex succo vel vino Cydoniorum*, quod æquè ac *Vinum* vim emeticam *ex pulvere dicto* elicit, parari poterit, erit insuper gustui magis gratus, licet vel nullis Elæosaccharis aromatizetur.

SYRUPUS EMETICUS PURGANS EX VEGETABILIBUS.

Recip. *Rad. Asari uncias tres,*
Esulæ Corticum uncias duas,

Helle-

Hellebori nigri unc. duas semis,

Conscindantur & contundantur parùm, quibus superaffundatur

Aceti destillati libra semis,

Ac iterùm in vitreo vaseo exsiccentur, postea coquantur in vase terreo, vel patellâ ferreâ *cum Aq. simplicis s. q.* repetitis vicibus affusæ, quousque tota virtus extrahatur, coletur, colaturæ omnes albùm: ovorum optimè clarificentur, pòst adde

Sacchari albi libram unam semis.

Coquantur denuò ad Syrupi consistentiam, cui pro odore & sapore grato *Elæosaccharum vel Cinamomi, vel Rosarum, aut Macis* admisceri potest.

VEL FIAT TALI MODO.

Recip. *Supradictas Radices aceto præparatas,*

Ex quibus cum *s. q. Spiritus Vini repetitis vicibus affusi*, extrahatur essentia, quousque tota virtus extracta sit: *Colaturæ omnes sive extractiones* in Alembicum vitreum suo capitello munitum ponantur, à quibus superflua humiditas ad extracti liquidioris consistentiam abstrahatur. *Hoc Extractum* denuò dissolve cum *Succi Cydoniorum simplicis recentis*, vel etiam *Pomorum dulcium libris duabus*, & additâ *Sacchari albi libra unâ semis* coquatur ad Syrupi consistentiam.

SYRUPUS MERCURIALIS PURGANS.

Recip. *Succi Mercurialis depurati libras quatuor,*

Cui immerge crassiusculè incisa & contusa sequentia, utpotè:

Fol. Sennæ cl. sine Stipit. unc. quatuor,

Rad. Mechoacæ albæ uncias duas,

Peractâ aliquali maceratione coquantur ad dimidias, colaturæ pòst clarificatæ adde

Sacchari albi libras duas,

Ac denuò coquendo ad Syrupi consistentiam redigatur, cui pro aromatisatione adde

Elæosacchari Citri vel

Cinamomi unc. unam,

Fiat Syrupus.

SYRUPUS MERCURIALIS ALIUS PURGANS.

Recip. *Succi Mercurialis depurati libras tres,*

Cui immergantur

Rad. Asari concisarum unciæ sex;

Et factâ digestione coquatur ad dimidias, *colaturæ clarificatæ* adde

Sacchari albi libram unam semis,

Et ad consistentiam Syrupi coquendo denuò redigatur, cui odoris & saporis gratiâ *de Elæosaccharis* nonnihil addi potest.

INFUSIO PURGANS CUM MANNA.

Recip. *Fol. Sennæ elect. sine stipitibus uncias tres*,
Mechoacæ albæ uncias duas,
Rhabarbari opt. & electi unc. unam semis.
Coriandri drachmas tres,

Quibus incisis & contusis superaffundantur, Aquæ simplicis ferventis libræ tres, relinquantur in infusione loco calido per noctem, postea colentur, & exprimantur species. *Relictis speciebus expressis* denuò *libræ quatuor Aquæ ferventis* superfundantur, coquanturque ad tertias, colentur & exprimantur; *decoctum hoc ultimum prius albumine ovorum clarificatum*, ad remanentiam *libræ unius* circiter leniter evaporet, *quod priori infusioni* jungatur, addendo

Mannæ electæ uncias octo,
Cremoris Tartari unc. unam semis,

Et cùm album. ovorum junctim clarificentur ac per manicam Hippocr. sæpiùs trajiciantur. Hujus infusionis uncia una continet vires drachmæ dimidiæ Foliorum Sennæ, scrupuli unius Mechoacæ albæ, granorum XV. Rhabarbari, & scrupulorum sex Mannæ.

AD CLASSEM TERTIAM, DE ELECTUARIIS LENIENTIBUS.

ELECTUARIUM LENITIVUM PRO CLYSTERIBUS ANODYNIS.

Recip. *Summit. Anethi*,
Absinthii,
Menthæ,
Origani,
Florum Chamomillæ,
Verbasci, ana recent. Manip. duos,
Rad. Lilior. alb.
Bryoniæ ana unciam unam,

Impera-

Imperatoriæ unciam semis,
Semin. Staphisagr.
Dauci,
Carui,
Fœniculi ana unciam semis,
Baccarum Lauri drachmas sex,

Incisa & contusa coquantur in *s. q. Aquæ simpl. ad libras tres* circiter, colaturæ adde

Pulpæ Prunorum libram unam semis;
Sacchari Thomæ,
Mellis simplicis ana uncias octo,

Ac denuò ad pulpæ liquidioris consistentiam decoquantur, superaddendo

Pulv. baccarum Lauri unc. unam,
Seminis Carui,
Cumini ana drachm. sex,
Opii Thebaici per exhalationem narcotici spiritus parati drachmam unam semis,
Gummi Sagapeni in vino diluti unc. unam semis,
Olei Cerasti drachmas duas,

Miscendo exactè fiat Electuarium, quod usui servetur.

AD CLASSEM QUARTAM, DE ELECTUARIIS SOLUTIVIS MOLLIBUS.

ELECTUARIUM PASSULATUM.

Recip. *Herb. Mercurialis recentis uncias sex,*
Fol. Sennæ elect. sine stipit. uncias tres semis,
Mechoacæ albæ uncias tres,

Incisa & contusa coquantur in *s. q. Aquæ S.* ad remanentiam *librarum quatuor*, coletur & clarificetur decoctum, in quo ebulliant.

Passularum min. mundatarum libræ duæ,

Fiatque ex iis pulpa per setaceum transmittenda, cui adde

Sacchari albi libram unam semis,

Et ad consistentiam justam Electuarii coquendo redigantur, adjiciendo ultimò

Magisterii Scammoneæ vel
Galappæ amygdalis benè subacti unc. unam,
Pulv. Coriandri,

Aniſi,
Macis ana drachmas duas,
Fiat Electuarium juſtæ conſiſtentiæ.

PASSULÆ LAXATIVÆ SEU PURGANTES.

Recip. *Herb. Mercurialis recentis Manip. tres*,
Fol. Sennæ el. s. ſt. uncias duas,
Mechoacæ albæ unciam unam ſemis,
Turbith.
Hermodact. ana drachmas ſex,
Rhabarbari opt. drachmas quinque,
Conciſis omnibus cum *ſ. q. Aquæ S.* repetitis vicibus affuſæ, fiat decoctio ad libras duas circiter, *colaturæ opt. clarificatæ* adde
Sacchari albiſſimi uncias ſex,
Ac denuò ad Syrupi liquidioris conſiſtentiam coquendo redigatur, cui adde
Paſſul. min. opt. mundatarum uncias ſex vel octo,
Et junctim ad juſtam & competentem conſiſtentiam coquantur, quibus ultimò ſine ulteriori coctione adjiciatur
Elæoſacchari Cinamomi,
Macis ana uncia ſemis,
Fiant Paſſulæ laxativæ purgantes, quarum doſis drachmæ duæ, uncia ſemis, ad drachmas ſex.

PASSULÆ LAXATIVÆ ALIÆ.

Recip. *Sacchari albiſſimi uncias ſex*,
ſolvatur in
Aquæ ſimplicis unciis octo,
quibus adde
Paſſularum minorum benè mundat. ab omni immunditie & ſtipitibus liberat. uncias ſex,
Coquantur junctim ad juſtam & ſatis craſſam Sacchari conſiſtentiam, antequam autem ab igne removeantur, ſuperinfundatur
Magiſterii Galappæ vel
Scammoneæ unc. ſemis,
ſoluti autem in
Spiritus vini rectificatiſſimi unciis duabus,
Removeantur pòſt ſtatim ab igne, nam *Spiritus vini rectificatus* illico æëra petit, & relinquit *Magiſterium Paſſulis* per minima commixtum, quæ additis
Elæoſacchari Roſarum drachmis ſex,
Macis unciæ ſemis,

Aroma-

Aromatisari possunt. Earum dosis erunt drachmæ duæ, drachmæ tres, aut unciam semis.

ROB CERASORUM PURGANS.

Recip. *Rob Cerasorum cum s. q. Sacchari parati libram unam*,
cui adde dum adhuc calet
Magisterii Galappæ vel
Scammoneæ drachmas sex,
soluti autem in
Spiritus Vini rectificatissimi unciis duabus,

Et factâ adhuc unicâ ebullitione fiat Electuarium sive Rob, quod nullâ aromatisatione indiget, quia Cerasa per se grati saporis sunt, adeoque proprio sapore grato contenti, impensas ulteriores & labores possumus ad alios usus reservare.

Ad eundem modum Rob Ribium purgans prægressæ Pharmacopœjæ Regiæ, accipiendo nimirùm *Rob Ribium*, loco *Cerasorum* propter saporem magis gratum, parare conduceret. Quòd autem *Resinam*, quam in dictâ Rob Ribium compositione *Mechoacanna*, *Galappa & Turbith* copiosè præbent, extrahendo illa *cum spiritu vini*, à reliquo Extracto separare, exsiccare, in pulverem redigere, ac tandem *nonnullis amygdalis dulcibus*, (non duabus prout Pharmacopœja Regia habet, & σφάλμα typographicum est, quod me absente irrepsit,) subigere jusserim, ideò factum est, quòd *Amygdalæ*, utpotè *oleaginosæ*, omnes *resinas* cum illis subactas quasi dissolvant, & acrimoniam earum temperent, ut eò faciliùs posteà non solùm *in liquoribus aquosis* dilui possint, ne denuò, prout aliàs solent, in suam resinosam substantiam redeant, ac intra corpus sumptæ, vel parùm aut nihil operentur, verùm, (quod pessimum,) ventriculo, ipsisque etiam intestinis tenacitate suâ resinosa, præsertim si parùm frigida superbibatur, præcipitatæ adhæreant, tormina, passiones colicas, ipsam etiam Diarrhæam, ac lethalem quandoque hypercatharsin inducant, & unicè causent: Etenim nullam hucusque, nec veriorem causam invenire potui, quæ similes immoderatos alvi fluxus, tormina, lethalesque hypercatharses, pòst sumpta purgantia, si frigida superbibantur, inducere possit, quàm *scammoneata medicamenta*, *vel Resinæ similes*, sive *Scammoneæ*, sive *Galappæ*, *Turbith*, *aut alterius purgantis sint*, cùm prout suprà dictum, si non legitimè & dextrè dissolutæ, & veluti *unctuositate amygdalarum* contemperatæ sint, intra corpus sumptæ, facilè contingere possit, ut si frigida & aquosa superbibantur, intra ventriculum & intestina veluti coàgulentur & præcipitentur, illisque *tenacitate suâ resinosâ* pòst adhærentes, acrimoniâque ac venenatâ qualitate suâ ea lancinantes, totum nervosum genus

in consensum trahere, ac infinita pessima mala inducere possint; Non enim memini unquam, ab alio quàm *scammoneato aut similis resinoso medicamento*, si frigida Aqua superbibita fuerit, similes immoderatos fluxus fuisse excitatos, imò soleo ego *purgantibus & vomitoriis medicamentis, ex resinosis autem non constantibus*, exhibitis, studio Julapium *ex Aqua frigida Saccharo, Succo Citri & Spiritu Vitrioli* paratum, finitâ prius purgantis operatione, propinare & præscribere, nunquam non felici cum successu: Sint igitur hæ experientiæ de *medicamentis resinosis purgantibus*, pro cautela imposterum, quas lubenter benevolo Lectori communicare volui, licet sciam, me multis etiam surdis fabulam narrare.

AD CLASSEM QUINTAM,
DE CONFECTIONIBUS SOLUTIVIS SOLIDIS.

DIACITRUM SOLIDUM SOLUTIVUM.

Recip. *Sacchari albissimi pulverisati libram semis,*
Solvatur S. a. *in s. q. Succi Citri recenter & jamjam expressi*, sine ebullitione, in patellâ ferreâ, cui adde ab igne remoto
Magisterii Galappæ amygdalis subactis drachmas tres vel unciam semis;
prius autem permixtis
Corticum Citri recentium extimorum & in mortario lapideo subtiliter contusorum ad formam pultis, drachmis tribus,
Item,
Pulv. Sacchari albiss. Oleo verò Corticum Citri essentificati unciâ dimidiâ,
Fiatque l. a. Confectio solida sive in forma Rotularum, sive Morsellorum delicatissima, dosis drachmæ tres ad unciam semis, & drachmas sex.

CONFECTIO EMETICA CITRATA.

Recip. *Sacchari albi pulverisati uncias quatuor,*
Solvatur s. a. *in s. q. Succi Citri recenter & jam jam expressi*, sine ebullitione, in patellâ ferreâ igne tamen carbonum recenti, cui adde, ab igne prius remoto, & adhuc ferventi,
Corticum Citri recent. extim. & subtilissimè contusorum ad pultis formam unciam semis.

Tar-

Tartari mei purgantis Antimoniati in præcessâ Appendice Animadversionum edocti drachm. sex,

Fiatque l. a. Confectio, sive in forma Rotularum, sive Morsellorum, Dosis drachmæ duæ, drachmæ tres, ad unciam semis.

AD CLASSEM SEXTAM, DE PILULIS.

PILULÆ SEU MEDICINA REGIA.

Primò paretur *Crocus Auri* sive ad mentem Glauberi, qui *Aurum Aqua Regiâ* solvit, ac denuò *cum liquore Silicum & Tartari illud* in pulverem cæruleum præcipitat. Vel *Auri purissimi per Antimonium ab impuritatibus liberati uncia semis*, cum *Mercurii vivi unciis tribus* amalgamata, calcinatione leni, *Mercurium* nimirùm ab *auro* pellendo, in pulverem convertatur, hinc sæpiùs, octies vel decies circiter, cũ *Sulphure pulverisato*, quo cum *Aurum suprà dictum* permiscendũ, addito singulis vicibus *novo sulphure*, leni calcinatione rudiculâ continuò agitando sub tegulâ (**unter der Muffel**) calcinetur, donec in altum ad instar *Croci rubri vel purpurei* elevetur. Hujus *Crocs Auri dextrè paratis* accipe *unciam dimidiam*, immittatur in matracium vel cucurbitam vitream parvam, cui superaffundatur, *Tinctura Antimonii in præcessâ Animadversionum Appendice edoctæ unc. una semis*, & in leni calore cinerum iterum exsiccetur; *Auro exsiccato* porrò *recentis Tinctura Antimonii dictæ uncia una semis* superaffundatur, digeratur leni calore cinerum, denuoque totaliter exsiccatum in pulverẽ convertatur, qui interim asservandus.

Jam

Recip. *Umbræ gryseæ optimæ unciam semis,*
quæ solvatur cum
Olei Still. Cinamomi drachma una semis,
Citri ex recentissimis corticibus sine præcessâ fermentatione drachma una,
Rosarum veri drachma semis,
Nucistæ expressi drachm. duabus,
addendo
Pul. Sacchari albissimi uncias duas,
inque pulverem redigantur.

Porrò

Ex *Opio, per effumationem narcotici sui spiritũs parato*, fiat cum *spiritu Cerasorum* Extractum spissum.

His omnibus in ordinem redactis, aggredere pretiosi hujus medicamẽt. mixturam modo sequenti, utpote:

Recip.

Recip. *Pulv. Auri essentificati unc. semis,*
Ambræ Saccharinæ uncias tres,
Extracti Opii ritè parati unc. semis,

Misceantur omnia exactè, & si *Extractum Opii* non suffecerit pro massa pilularum efformanda, addatur adhuc *drachma una vel altera Extracti Croci Austriaci*, fiatque massa tenax, ex qua vel pilulæ efformandæ, vel illa ipsa in aliâ medicamenti formâ, liquoribus dissoluta, propinari potest.

Nota: Quòd si fortè quispiam *Opii Extractum*, propter frequentem & sæpiùs repetitam necessariam exhibitionem Regii hujus medicaminis abhorreret, aut illud ipsum in soporosis affectibus ægrotis, quibus *Opium* ob morbi naturam nocivum, propinare nollet, is posset aliam hujus medicaminis vel pilularum compositionem, *dempto vel omisso Opio*, instituere, tali pacto:

Recip. *Auri legitimè præparati & uti suprà essentiâ Antimonii imbuti unciam semis,*
Ambræ gryseæ Saccharinæ cum Oleis stillat. solutæ uti suprà etiam, uncias tres,
Extr. Croci Austriaci drachmas tres, Ligni Aloës gummosi unciam semis,

Misceantur exactè & redigantur in massam tenacem, studiosè asservandam & custodiendam.

Virtutes quòd spectat Regiæ hujus Medicinæ, in illis recensendis multus non ero, eò quòd doctis & in arte medicâ peritis scripserim, qui ipsi medicaminis hujus dignitatem & excellentiam vel ipso intuitu agnoscere possunt. Cùm autem medicamentum sit nobile & verè Regium, idcircò sedulum & in arte peritum efflagitat Pharmacopœjum aut Chymicum, qui illud eâ dexteritate quâ descriptum, non crassâ aut rudi Minervâ, conficiat: Quod ipsum tandem dextrè paratum, rationalis & peritus Medicus in plurimis morborum monstris, tanquam medicamentum confortativum universale, Alexipharmacum & mitigativum, in peste febribus ardentibus, malignis, omnibus acutis doloribus, sive a frigidâ sive calidâ causâ exortis, cùm internis tùm externis, Colicâ passione, Nephritide, Pleuritide, Catharrhis, & defluxionibus tenuioribus, Profluviis nimiis, sive à purgatione, sive humoribus mordicantibus & liquantibus ortis, Vigiliis, Hæmorrhagiis, Sputo sanguinis, Hydrope, & dempto *opio*, in Apoplexiâ, Epilepsiâ, Lethargo, &c. tutò adhibere potest, nunquam sine evidenti ægrotorum emolumento, à granis V. X. ad X X. plus minusvé pro conditione morbi & ægroti.

PILULÆ CONFORTANTES.

Recip. *Ambræ gryseæ opt. drachmam unam,*

solvatur

solvatur in

Olei Cinamomi scrupulo uno,
Caryophillorum scrupulo semis,
Nucistæ expressi drachma una,

Quibus invicem benè mixtis adde

Pulv. Cardamomi,
Piperis longi ana drachmas tres,
Pulv. Maceris drachmas duas,
Crocis Austriaci drachm. unam semis,
Extract. Ligni Aloës n. drachmas duas,
Resinæ Styracis Calam. drachmam unam semis,

Misceantur ac *cum s. q. Mellis nostri Citrati* fiat massa, ex qua pilulæ efformandæ, vel in aliâ medicamenti formâ propinanda. Caput, Cerebrum, Sensusque omnes, Ventriculum & totam naturam roborans, Anhelitum putridum & fœtidum emendat, spiritusque animales & vitales recreat.

PILULÆ HYSTERICÆ SEU MATRICALES.

Recip. *Radicum Valerianæ,*
Imperatoriæ ana unciam unam,
Herb. recent. Artemisiæ,
Matricariæ,
Melissæ,
Menthæ crispæ,
Rorismarini,
Salviæ,
Cortic recent. Arantiorum extim. ana unciam unam semis,
Opii per exhalationem Spiritus narcotici parati drachmas sex,
Castorei opt. recenter siccati unciam unam,
Crocci Austriaci unciam semis,

Incisa & contusa crassiusculè, ac Cucurbitæ vitreæ immissa extrahantur cum *s. q. Spiritûs Vini, repetitis vicibus affusi*, quousque non amplius tingatur, *spiritus tincti omnes* in M. B. ad extracti consistentiam abstrahantur: *Extracto residuo sicco* adde

Pulv. Castorei drachmas tres,
Radicis Valerianæ,
Cort. Arant. extim. & recenter siccatorum ana drachmas tres semis,
Myrrhæ rubræ unciam semis, dilutæ ad pultis formam in superiori spiritu abstracto ab extractis.

Pulv.

Pulv. Vngulæ Equæ unciam semis,
Ol. Stillat. Succini,
Salviæ,
Rorismarini,
Menthæ crispæ,
Ol. Still. Cortic. Arantiorem ex recentibus Corticibus
ana drachmam semis,
Coriandri scrupulum semis,

Mixtis omnibus fiat massa pilularum in affectibus hystericis & uterinis à scrupulo semis ad scrupulum unum propinanda.

PILULÆ ODONTALGICÆ.

Recip. *Opii Thebaici nostro modo parati, drachmas duas,*
solvatur in
Spiritus Veneris supra edocti uncia semis,
& coletur, cui adde
Pulv. Rad. Pyrethri,
Cortic. Mandragoræ ana drachmam unam semis,
Sem. Hyosciami scrupulum unum,
Staphisagriæ,
Vrticæ minoris,
Coriandri ana drachmam semis,
Caryophillorum drachmas duas,
Resinæ abietinæ drachmas tres,
Gummi animæ,
Camphoræ ana drachmas duas,

Misceantur ac cum *s. q. spiritus mei Veneris ex ære viridi parati, supraque edocti*, fiat massa, ex qua postea formentur pilulæ oblongæ, alterutrâ sui parte in acumen, desinentes.

PILULÆ STOMACHICÆ ROBORANTES.

Recip. *Pulv. Mastichis el. drachmas tres,*
Olibani,
Myrrhæ ana drachmas duas,
Gummi Animæ,
Resinæ Styracis Calamitæ ana drachmam unam semis,
Extracti ligni Aloës resinosi,
Pulv. Caryophillorum,

Masti-

Macis,
Piperis longi ana drachmas tres,
Croci Austriaci drachmas duas,
Ambræ grysææ drachmam unam,
solutæ in
Ol. Stillat. Cinamomi,
Caryophillorum ana scrupulo uno,
Nucistæ expressi drachma una,
Misceantur, ac *cum melle Rorismarini* efficiatur massa, ex qua pilulæ, quotiescunque usus postulat, formandæ, ventriculum & totum nervosum genus, caput ipsum & Cerebrum insigniter roborantes.

PILULÆ DE TEREBINTHINA, AD GONORRHOEAM VIRULENTAM.

Recip. *Pulv. Antimonii Diaphoretici rite paratis unciam semis,*
Cinnabaris nativi rubicundissimi,
Antimonii rubicundiss.
Terræ sigillatæ Silesiacæ,
Liquiritiæ rasæ ana drachmas tres,
Oculorum Cancrorum præp.
Mastices elect. ana unciam semis,
Olibani,
Myrrhæ rubræ,
Croci Austriaci ana drachm. duas,
Misceantur, ac *cum s. q. Terebinthina claræ* efficiatur massa, ex qua pilulæ mediocres efformandæ, quarum quatuor, quinque vel plures pro dosi exhibendæ.

AD CLASSEM SEPTIMAM, DE EXTRACTIS.

EXTRACTUM ANTIPESTILENTIALE.

Recip. *Radicum Angelicæ uncias duas,*
Anthoræ,
Contrayervæ ana unc. unam,
Enulæ Campanæ,
Imperatoriæ,
Levistici,

Morſus Diabolis,
Scorzoneræ ana uncias duas,
Zedoariæ unc. tres,
Herb. recent. Scordii noſtras.
Rutæ hortenſis ana uncias quatuor.
Florum Calendulæ,
Croci Auſtriaci ana unciam unam,
Cortic. Citri recent. extim. unc. duas ſemis,
Baccarum Iuniperi uncias tres,
Herbæ Paridis unc. unam ſemis,
Semin. Rutæ,
Citri ana unciam unam,
Myrrhæ rubræ uncias duas,

Inciſa & contuſa craſſiuſculè, ac Cucurbitæ vitreæ immiſſa, extrahantur *cum ſ. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus affuſi*, quouſque tota virtus & efficacia prolecta ſit, *nec Spiritus Vini* tincturam amplius eliciat : *Extractiones omnes filtratæ* per Alembicum ad Extracti conſiſtentiam abſtrahantur deſtillando, cui adde

Ol. Stillat. Angelicæ,
Citri ex recentib. Corticibus,
Rutæ hortenſis,
Succini ana drachmam unam ſemis,

prius cum

Pulv. Sacchari albiſſ. unc. tribus,

permixtorum,

Fiatque Extractum Alexipharmacum nobile, uſui aſſervandum.

Nota : Quòd ſi *Reſina quædam*, abſtracto pro majori parte *ſpiritu vini*, appareret in reſiduo liquore, *à nonnullis rebus reſinoſis hanc compoſitionem ingredientibus*, utpotè *Myrrhâ*, *Zedoariâ*, poſſet illa à liquore vel extracto adhuc liquido per filtrum vel colaturam ſeparari, cum particula *rectificatiſſimi vini ſpiritus* denuò ſolvi, ac Extracto, jam ſufficienter & ad juſtam aut debitam conſiſtentiam abſtracto, ultimò addi.

EXTACTUM HYDRAGOGUM.

Recip. *Rad. Aſari,*
Ebuli ana uncias tres,
Calami aromat.
Enulæ ana unciam unam,
Galappæ,
Mechoacannæ,
Vincetoxici ana unc. quatuor,
Rhabarbari opt. unc. unam ſemis,

Herb.

Herb. Soldanellæ,
Gratiolæ,
Scolopendrii ana uncias duas,
Agrimoniæ uncias duas semis,
Sem. Apii,
Bardanæ majoris,
Ebuli,
Thlaſſp. noſtrat. ana unc. unam,

Inciſa & contuſa immittantur Cucurbitæ vitreæ, ac *cum ſ. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus affuſi*, extrahantur virtutes omnes, quousque nimirùm *ſpiritus vini* tingatur; Extractiones omnes in Alembico vitreo ad libram unam circiter abſtrahantur: *Reſina quæ reſiduo liquori* innatabit ſtudioſè ſeparetur, exſiccetur, & ùt ſæpiùs monui, vel *amygdalis benè ſubactæ, & in pulverem converſa*, vel *ſpiritu vini rectificatiſſimo dennò ſoluta*, ultimò extracto jam ſufficienter & ad debitam conſiſtentiam abſtracto admiſceatur.

Porrò

Recip. *Succorum depurat. Rad. Bryoniæ uncias ſex,*
Iridis cærul.
Sambuci ana unc. decem,
Hepat. nobilis,
Matriſylvæ,
Mercurialis ana unc. octo,

Ac cum *ſuperiori jam abſtracto Extracto liquido*, in leni calore, vel ſupra ignem lenem, in vaſe duplici, ad competentem Extracti conſiſtentiam unita evaporent, *cui Extracto* ultimò jungantur

Magiſt. Scammoneæ amygdalis benè ſubactis drachmæ duæ vel drachmæ tres,

Et uſui reponatur, doſis à drachma ſemis ad drachmam unam in vehiculo convenienti.

AD CLASSEM OCTAVAM,
DE DECOCTIS.

DECOCTUM SEU GALREDA AUT GELATINA CAPONIS COMPOSITA, PROPHTHISICIS ET MARASMO CONSUMPTIS.

Recip. *Caponem recentem more ſolito mactatum*,
(non crudeliter, ut juxta ſcripturam Creaturæ innocentes hominum crudelitatem gemebundè deteſtari neceſſum habeant: Nam

majores, puto virtutes, *ab animali innocuo simpliciter & repentè mactato* sperare licebit, quàm *in iram & odium adversus hominem, ac quasi in rabiem prius concitato*,) quem à plumis & interaneis repurgatum & eviscératum conscinde in minima frustula, ossiculis etiam omnibus conquassatis, cui adde

Cancros fluviatiles conquass. Nro. XV.

Pulmones Vituli recenter mactati unius vel minus,

(aut si mavis & in promptu sint, *Pulmones Vulpis unius*,)

item,

Perdicem recenter etiam mactatam, & in frustula parva dissectam & concisam, unam.

Cuncta hæc immittantur in lagenam stanneam amplam, ut tertia pars vel dimidia maneat vacua, intermisceantur autem *carnibus dictis*, stratum veluti super stratum, sequentia etiam contusa, utpotè:

Rad. Ireos Florent. drachmæ quinque,

Enulæ Campanæ recentis,

Symphyti majoris recentis ana unciæ unam semis,

Maceris drachmæ tres.

Porrò his omnibus lagenæ immissis superinfundantur

Succi vel Vini Cydoniorum recentis non acidi unciæ octo,

(vel si consultum videatur, loco *succi Cydoniorum Succus sempervivi, Hyssopi Veronicæ*, vel alius conveniens substituatur,) claudatur pòst lagena proprio operculo cochleato, ac insuper etiam vesicâ, immergaturque illa dein ultra dimidietatem sui, in balneum Mariæ vel Aquam, coquendo continuò, ad horas sex, absolutâ decoctione, aperiatur lagena, contentaque excutiantur ad sacculum linteum, & prælo subjiciantur, *expressus liquor, sale nonnihil condiendus*, in frigidum collocetur locum, qui *in Gelatinam* concretus delicatissimam, ægrotantibus phthisicis summo cum successu propinari potest, in jusculis hordeaceis, Panatellis, Pulpis, aliisque similibus ferculis. *Hæc Gelatina* majores sanè habebit virtutes, quàm *Aqua Caponis*, vel etiam *Aqua ex hepate & pulmonibus vituli destillata*, cùm illorum virtutes omnes in residuo maneant, ac parum quod operæ pretium esset asservare vaporetenùs, destillando illa per Alembicum, transeat. Consulantur nostræ Animadversiones super Aquam Caponis & Balsamum Embryonum, ubi plura hac de re reperientur.

DECOCTUM AD ERYSIPELATA, ET QUASCUNQUE INFLAMMATIONES.

Recip. *Florum Sambuci recenter siccat. Manip. tres*,

Rosarum alb. vel Damasc. Manip. duos,

Fol. Tussilaginis Manip. unum semis,

Pulv. Lithargyri,

Cerussæ

Ceruſſæ ana uncias quatuor,
Olibani,
Maſticis el. ana drachmas ſex,

Coquantur in *Vini albi & Aceti Vini, ana libris duabus, Aquæ ſimplicis libra una*, ad Conſumptionem quartæ partis, coletur per linteum rarum, ut *potior pars pulverum* transfluat, fiatque ad inſtar Lactis Virginis. Eſt Epithema egregium, cunctis inflammationibus externis, ad Gangrænam etiam inclinantibus, proficuum, quod linteolis duplicatis vel triplicatis in eo calidè madefactis ſæpiùs tutò & ſecurè applicari poteſt.

DECOCTUM PECTORALE CONTRA PHTHISIN.

Recip. *Rad. Enulæ recent. uncias duas,*
Ireos Florent. unciam unam,
Liquiritiæ raſ. unciam ſemis,
Symphyti majoris recent. unc. unam,
Herb. recent. Alchimillæ,
Hederæ terreſt.
Millefolii,
Plantag. minoris,
Pulmonar. maculoſæ,
Sempervivi majoris,
Veronic. ana Manipulos duos,
Cancrorum fluviatil. Nro Xij.

Craſſiuſculè conciſa, cancri autem conquaſſati coquantur in *libris octo Aquæ pluvialis vel fontis*, ad remanentiam librarum ſex, coletur, *colaturæ adhuc fervenți* injiciantur

Conſ. Roſarum Damaſcen. unc. ſex,

Factâque digeſtione horis aliquot, denuò colentur, *colaturæ* adde

Mellis Roſati ſimplicis uncias ſex vel X,

Ac ſæpius per manicam Hippocratis, *albuminibus ovorum* junctim priùs clarificata, trajiciantur, cui ſi volupe fuerit, proconditione morbi & ægroti, *nonnullæ guttulæ Spiritus Sulphuris* inſtillari poſſunt. Decoctum eſt egregium pectorale & Vulnerarium.

DECOCTUM CONTRA SPUTUM SANGUINIS.

Recip. *Rad. Symphiti majoris,*
Bardanæ
Acetoſæ,

Papav. errat.
Pentaphylli,
Plantaginis ana unc. unam,
Herb. Hederæ terrest.
Plantaginis,
Polygoni,
Portulacæ,
Virgæ aureæ ana Manip. unum semis,
Florum Rosarum rub.
Verbasci ana Manip. duos,
Baccar. Myrtillorum unciam unam,
Capit. Papav. albi cum semin. Nro VI.
Ligni Santali rubri drachmas sex,
Masticis el.
Olibani ana drachmas duas,

Incisa & contusa crassiusculè coquantur *in Aquæ simplicis s. q.* ad remanentiam librarum quinque, *colaturæ clarificatæ* dum adhuc fervet injiciantur

Conf. Rosarum rub. Antiquæ unciæ quatuor,
Spiritus Vitrioli gutt. XV. vel XX.

Factâque digestione horis aliquot denuò coletur, colaturæ adde

Syrupi Corallini nostri, in hac Appendice edocti unciæ tres.

Misceantur pro potu sanguinem spuentibus, & dysenteriâ laborantibus.

AD CLASSEM NONAM,
DE PULVERIBUS.

PULVIS ALEXIPHARMACUS EX TRIBUS.

Recip. *Sulphuris vivi splendidi, translucidi,*
Vel:
Sulphuris boni crudi, aut florum Sulphuris unciam unam semis,
Nitri crystallini purissimi,
Myrrhæ rubræ splendidæ ana uncias duas,


Misceantur, fiatque pulvis, singulis separatim contusis, cujus drachma semis pro dosi, imò drachma una, & drachma una semis exhiberi potest, in peste, aliisque febribus malignis, ac morbis contagiosis, repetitis quidem vicibus, ad universalibus præmissis.

PULVIS

PULVIS BEZOARDICUS AUREUS.

Primò paretur Bezoardicum Solare, hoc pacto:

Recip. *Auri puri & boni unciam semis*,
solvatur in
Aqua Regis suffic. quantitate,
porrò accipe
Butyri Antimonii unciam unam,
Cui superaffundatur in Alembico parvo
Spiritus Nitri supernè edocti q. s.



Pro dissolutione, quousque nimirùm nulla ebullitio vel strepitùs ampliùs percipiatur, quo facto, conjungantur & misceantur *hæ duæ solutiones auri & butyri Antimonij*, ac in arenâ igne leni abstrahantur spiritus ac siccitatem, *materia flava in fundo Alembici relicta* excipiatur, inque mortario vitreo teratur, cui porrò vitreo Alembico immissæ,

Recentis Spiritus Nitri uncia dua vel tres

superaffundantur, factâque aliquali digestione rursus per arenam fortiter abstrahantur. Hæc operatio, nimirùm *recentis spiritus Nitri* affusio, ejusdemque abstractio bis, terve repetatur. *Materia relicta* calcinetur leniter ad horam unam vel alteram, sub tegula (**unter der Muffel**) usuique reponatur.

Jam

Recip. *Bezoardici hujus aurei*,
Vnicornu mineralis vel fossilis,
Bezoar occidentalis ana unciam semis,

Fiatque omnium Pulvis subtilissimus insipidus, cujus dosis drachma semis ad drachmam unam, in peste morbisque contagiosis.

PULVIS EPILEPTICUS MINERALIS.

Recip. *Cinnabaris nativæ rubicundiss. splend. vel. ex Carinthia aut Hungaria, unciam unam*,
Vnicornu mineralis vel fossilis drachmas sex,
Auri Crudi cum Tinctura Antimonii fermentati, & supra edocti, drachmas tres,
Magisterii solubilis Coralliorum unciam semis,

Singula per se in pulverem redacta misceantur exactè, dosis scrupulus unus ad drachmam semis,

PULVIS EPILEPTICUS EX VEGETABILIBUS.

Recip. *Nucleor. Ceraſorum nigr. drachmas ſex,*
Perſicorum decort. unciam ſemis,
Sem. Pœoniæ excort. drachmas ſex,
Contundantur ſubtiliſſimè in mortario, cum *ſ. q. Aquæ flor. Tiliæ, & florum Sambuci*, ad pultis formam, ut veluti per ſetaceum tranſmitti poſſit. cui adde parum etiam contuſa, ſequentia:
Rad. Pœoniæ d. t. collect. unciam unam,
Valerianæ unciam ſemis,
Viſci, quercini drachmas ſex,
Florum Betonicæ,
Sambuci,
Tiliæ ana drachmas tres,
Sem. Verbenæ,
Rutæ hortenſis ana unc. ſemis,
Cardamomi min.
Croci Auſtriaci ana drachmas tres,
Et in calore leni, leniter exſiccentur, inque pulverem ſubtilem redigantur, cui adde
Ol. ſtillat. Coriandri,
Cinamomi,
Majoranæ,
Succini ana ſcrupulum unum,
Fiatque pulvis ſubtiliſſimus, Doſis drachma ſemis, ad drachmam unam, repetitis vicibus, & ſæpiùs aſſumendus.

PULVIS EPILEPTICUS EX ANIMALIBUS.

Recip. *Iecinora Ranarum viridium & paluſtrium Nro. XXiiij.*
Corda Ciconiarum Nro. iij.
Hirund. junior. Nro. Viij.
Lapidum Carpionum ſemilunar. ſuprà eorum oculos repertorum,
Officuli Cranii humani triangularis raſpati ana drachmas tres,
Bezoar occidentalis drachmas duas ſemis,
Vermicul. in ſpongiis Cynosbat. inventorum drachmam unam,
Pulv. ex Typhis Cornu Cervi noſtro modo paratis unciam ſemis,

Exſiccen-

Exsiccentur quæ exsiccanda sunt in Alembico vitreo & Balneo Mariæ, fiatque post omnium pulvis subtilissimus, cui adde pro diuturniori conservatione

Olei Caryophillorum vel
Cinamomi scrupulos duos,
Coriandri drachmam semis,

Servetur usui, cujus dosis scrupulus unus, drachma semis ad drachmam unam.

Nota: Singula hujus pulveris ingredientia per se, sine aliarum rerum additione, in hac specie morbi specifica sunt appropriata, quicunque proindè uno alterove ingrediente contentus plura conjungere nolit, cum illo non pugnabo.

PULVIS HYDRAGOGUS.

Recip. *Radic. Asari*
Calami aromat.
Galappæ,
Mechoacannæ,
Hermodact. ana drachmas duas,
Herb. Graziolæ,
Soldanellæ ana drachmas duas semis,
Fol. Mezerei drachmas duas,
Resinæ Scammon. amygdalis benè subactæ,

Vel:

Diagridii sulphurati drachmam unam,
Gummi Guttæ drachmam semis,
Millepedum n. m. præparat. drachmam unam semis,
Elaterii scrupulum unum,
Caryophillorum drachmam unam,
Macis drachmas duas,

Fiat ex omnibus Pulvis subtilissimus, cujus dosis drachma semis ad drachmam unam, singulis quaternis diebus propinandus.

PULVIS CYPRIUS PRETIOSUS.

Recip. *Musci vel Usneæ quercinæ electæ & ab omnibus impuritatibus lignosis mundatæ, libras duas,*

Immittatur sacculo, & per horæ quadrantem bacculo percutiatur, ut ab omni pulvere & sordibus adhærentibus penitùs liberetur: Hinc ollæ immittatur, sæpiùs *aquâ simplici* superfusâ lavetur, per duos dies, donec aquâ limpidâ & purâ prout affusa effundatur; siccetur dein in Sole supra linteum collocata, ut eò magis

suo colore, odore & sapore, vi nimirùm attractrice Solis, privetur. Porro *hac eadem usnea suo colore viridi, odore & sapore jam privata, ac optime siccata*, cum *floribus Rosarum & Iasmini* (vel *floribus Aurantiorum & Citri*, ubi illorum proventus) *recentibus & integris*, sexies vel octies stratificetur, & junctim pondere aliquo in cribro comprimatur, singulis diebus *floribus ab usnea* separatis, & *recentibus* substituatis; donec fragrantissimo imbuatur odore. Post leviter *exsiccatæ usneæ*, *inque pulverem subtilissimum redactæ*, denuò (si fortè odorem in levi exsiccatione, quæ tamen nullo modo in Sole fieri debet, sed in alio loco tepido) linteo subtili vel sacculo largo imposita, infra suprâque *floribus supradictis recentibus* conspergatur, ac pondere aliquo in cribro nonnihil gravetur. Huic *pulveri* tandem *fragrantissimo, pro quavis libra una* adde

Moschi scrupulum vel drachmam semis,
soluti in
Spiritus Rosarum fragr. s. q. ad pulticulæ formam.
Ambræ gryseæ itidem drachmam semis,
solutæ in
Ol. Still. Rosarum veri scrupulo uno,
Item si lubet
Pulv. subtiliss. Rad. Ireos Florent. albiss. unciam unam semis,
Pul. Rad. Cyperi rotund. unc. duas,

Fiatque pulvis fragrantissimus Regius, quo cum caput conspersum, illud odore suo grato insigniter roborabit, sudâque adstrictione, siccitate & vi attractrice omnes ejus humiditates exsiccabit, & cùm nullâ viscositate polleat, nec cuti nec crinibus firmiter adhæreat, facilè à capite & crinibus separari potest.

PULVIS AD GENERANDUM LAC.

Recip. *Carnis Uberis Vaccæ juvenculæ unc. sex*,
Radicum recent. Rapunculorum,
Cardui lactei,
Barbæ hirci ana unciam unam,
Ireos Florent. unciam unam,
Sem. Lactucæ,
Paoniæ excort. ana drachmas sex,
Lapidis Lactei præparati, est
Lapis mollissimus ad instar Saponis tactu, vel hujus loco accipiatur.

Ludi Lapid. Helmontii præparati,
vel etiam

Silicum

Silicum molliorum qui ignem non concipiunt ferro attriti, cujuscunque horum unciam unam semis,
Coralliorum alborum præpar.
Oculorum Cancror. præpar. ana drachmas sex,
Margarit. Orient. præpar. unciam semis,

Caro mammillarum, radices etiam recentes conscindantur tessellatim, ac cum reliquis pulveribus & præparatis conspersa, immittantur Alembico vitreo, quibus superaffundantur

Succi Cydoniorum recenter expressi unciatres,

ac illicò in M. B. totaliter exsiccentur, (baculo quandoque illa in Alembico commovendo) ut in pulverem subtilem redigi possint, *cui pulveri* adde

Pulv. Sem. Eruca,
Pæniculi ana drachmas sex,
Cardamomi min.
Macis ana unciam semis,
Piperis longi unciam unam,
Sacchari albissimi Canar. uncias sex,

Misceantur exactè, fiatque pulvis subtilissimus. Hujus detur pro dosi drachma una vel drachmæ duæ, sæpiùs in jusculo Gallinæ, vel alio conveniente vehiculo.

PULVIS ANTIPLEURITICUS.

Recip. *Rasuræ dentis aprugni unc. semis,*
Mandibul. Lucii pisc.is,
Rad. Papav. errat. ana drachmas tres,
Flor. Papav. errat. drachmas duas,
Sulphuris vivi translucidi unciam unam,
vel hujus loco
Flores Sulphures aut Sulphur crudū & purum accipiatur,

Misceantur exactè pro pulvere, & detur ejus pro dosi drachma semis, vel drachma una, in vehiculo conveniente, sæpiùs autem singulis sex vel octo horis, repetatur.

PULVIS ANTIPHTHISICUS.

Recip. *Sulphuris vivi translucidi & splendidi, vel*
Florum Sulphuris unciam unam,
Sacchari Saturni resolubilis ex minio vel ipso plumbo facti drachmas sex,
Croci Austriaci optimi drachmas duas,
Rad. Iridos Florent. drachmas sex,
Liquiritiæ unciam semis.

Fungorum arbori Salicis adnascentium drachmas tres,
Myrrhæ opt. rub. unciam semis,
Thuris albi,
Gummi Animæ ana drachmas tres,
Saccharis albiss. Canar. uncias duas,

Fiat s. a. Pulvis subtilissimus, in decocto quodam pectorali manè & vesperi à drachma semis ad drachmam unam phthisicis propinandus.

PULVIS CONTRA TUSSIM INFANTIUM ET SENUM, SEU CATARRHALIS.

Recip. *Sem. Papav. albi drachmas decem,*
Melon excort.
Pæoniæ excort. ana drachmas tres,
Pin. Pinearum mund.
Pist. Pistachior. decort. ana unciam semis,
Benzoës pulveris sati drachmas tres,

Contundantur opt. in mortario ad pultis subtilissimæ formam cum *s. q. Aquæ Hyssopi vel succi ejusdem.* Huic *pulpæ* adde

Pul. Rad. Iridis Florent. unciam unam semis,
Pæoniæ drachmas sex,
Croci Orientalis vel Austriaci drachmas duas semis,
Florum Sulphuris unciam unam semis,
Sacchari penidis uncias sex,

Exsiccentur leni in calore, fiatque denuò omnium pulvis subtilis, addendo

Elæosacchari Anisi uncias duas,

Et usui servetur in vitro.

PULVIS STERNUTATORIUS CAPITALIS.

Recip. *Rad. Cyperi rotund. drachmam unam,*
Doronici veri,
Pyrethri ana drachmam semis,
Hellebori albi drachmam unam,
Ligni Aloës gummosi drachmam unam,
Herbæ Majoranæ drachmam unam semis,
Rorismarini,
Thymi ana drachmam unam,

Flor.

Flor. Liliorum convall. drachmam unam ſemis,
Sem. Aniſi,
Coriandri,
Nigellæ ana drachmam unam,
Cardamomi min.
Macis ana drachmam ſemis,
Ambræ gryſeæ ſcrupulum ſemis,
ſolutæ in
Ol. *Majoranæ gut. Viij.*
Roſarum veri gutt. VI.
Moſchi opt. Orient. grana ſex,
ſolutæ in
Spiritus Roſarum aliquot guttulis,
Fiat pulvis omnium ſubtiliſſimus.

PULVIS AD VENEREAM LUEM.

Recip. *Bezoardici noſtri Aurei ſuprà edocti unciam ſemis,*
Antimonii Diaphoretici ritè parati n. m. unciam unam,
Cinnabaris nativi ſplendidi & rubicundiſſ. ex Carinthia drachmas ſex,
Miſceantur, fiatque Pulvis, cujus doſis drachma ſemis, ad drachmam unam, ſæpiùs exhibendus.

AD CLASSEM DECIMAM,

DE DIACODIIS ET LOHOCH.

DIACODION ASTHMATICUM, CONTRA TUSSIM DIUTURNAM.

Recip. *Rad. Aronis recentis,*
Helenij recentis,
Glycyrrhizæ,
Leviſtici ana uncium unam,
Herb. recent. Hyſſopi,
Perſicariæ,
Hederæ terreſt.
Caparum, Schlauch *vulgò ana uncias duas,*

Inciſa

Inciſa coquantur in *ſ. q. Aquæ repetitis vicibus affuſæ*, ad omnimodam virtutum prolectionem, *colaturæ omnes clarificatæ ad libram unam ſemis* circiter evaporent, in vaſe vitreato, interimque aſſerventur.

Jam

Recip. *Sem. Eruca unciam unam ſemis,*
Naſturtii unciam unam,
Vvitica drachmas ſex,
Gummi Animæ drachmas duas,
Maſtichis,
Camphoræ ana drachmas tres vel unciam ſemis,
Amygd. amararum unciam unam ſemis,

Contundantur optimè in mortario *cum ſ. q. decocti ſuperioris aſſervati*, ad formam pultis, quæ, per ſetaceum transmiſſa, interim etiam ſervetur.

Porrò

Recip. *Superiùs aſſervatum & abſtractum Decoctum,*
& addita
Sacchari albi libra una ſemis,

Coquendo redigantur in Syrupi craſſam conſiſtentiam, cui Syrupo ſtatim immittatur *aſſervata pulpa ex ſeminibus & aliis rebus*, item adde

Pulv. Cardamomi,
Cinamomi acuti,
Nuc. Moſchat,
Macis,
Piperis longi ana drachmas duas ſemis,
Elæoſacchari Aniſi unciam unam ſemis,
Hyſſopi unciam unam,
Iuniperi drachmas ſex,

Sumendo *drachmam unam Oleorum* pro *uncia una Sacchari*, fiatque omnibus exactè mixtis Diacodion antiaſthmaticum, cui, ſi in uſum trahendum, *de ſpiritibus Aniſi, Fœniculi*, vel etiam nonnihil *Elixir vitæ* addi poteſt.

DIACODION CONTRA SPUTUM SANGUINIS.

Recip. *Rad. recent. Acetoſæ unciam unam,*
Cichorii flore albo unc. duas.
Conſolidæ majoris,
Lapathi acuti,
Papav. errat.
Pentaphylli,

Plantag. minoris ana unciam unam,
Herb. recent. Auriculæ muris,
Bursæ pastoris,
Cichorii flore albo,
Hederæ terrestris,
Plantag. minoris acutifoliæ,
Virgæ aureæ ana Manip. duos,
Vincæpervincæ Manip. unum,
Flor. recent. Rosarum rub. uncias tres,
Papav. errat. unciam unam,
Santali rubri drachmas sex,

Incisa coquantur in *q. q. Aquæ Chalybeatæ repetitis vicibus affusæ*, quousque tota eorum virtus extracta sit, *colaturæ omnes alb. ovorum clarificatæ* ad *libram unam circiter* in vase vitreato evaporent, & additis

Succ. Cichorii,
Millefolij,
Plantag. min.
Sempervivi majoris ana depurat. unciis duabus.

interim asservetur.

Jam

Recip. *Sem. Papav. albi uncias tres,*
Cichorii,
Plantaginis,
Portulacæ ana drachmas sex,
Rad. recent. Cichorii uncias duas,

Contundantur optimè in mortario ad pultis subtilissimæ formam, cum portiuncula *superioris asservati decocti*, & per setaceum ad instar pulpæ transmittantur, vel cogantur, corticibus seminum inutilibus relictis, quâ pulpâ interim etiam servatâ, accipe *decoctum reliquum superius asservatum*, ac cum

Sacchari albissimi libra unâ semis

ad Syrupi consistentiam, ordinariâ tamen crassiorem, percoque, cui adde

Pulpam Seminum & Radicum Cichorii asservatam,

item,

Pul. subtil. Boli armen.
Corall. rubrorum ana drachmas quinque,
Croci Austriaci drachm. tres,
Lapid. Hæmatit.
Mastichis,
Olibani,

San-

Sanguinis Draconis,
Succini albi,
Terræ sigillatæ Sileſ. ana drachmas quinque,
Elæoſacchari Roſarum uncias tres,
Spiritus Vitrioli parum, ut vix guſtu percipi poſſit,

Fiat omnibus benè mixtis ſ. a. Diacodion juſtæ conſiſtentiæ; Doſis uncia ſemis ad unciam unam, ſæpiùs aſſumenda.

AD CLASSEM UNDECIMAM,
DE SPECIEBUS AROMATICIS.
SPECIES CORDIALES TEMPERATÆ.

Recip. *Lapid. Bezoar. Orient. veri,*
Occident. ana drachmas duas,
Bezoardici aurei noſtri ſuprà edocti drachmas tres,
Vnicornu mineralis ſeu foſſilis unc. ſemis,
Cort. Citri extimorum,
Arantiorum extimorum,
Ligni Aloës gummoſi,
Granorum Kermes,
Caſſiæ Lignea veræ, ana drachmas tres,
Croci Auſtriaci drachmas duas,
Magiſt. ſolut. Coralliorum n. unciam ſemis,
Perlarum Or. n. drachmas tres,
Ambræ gryſeæ drachmam ſemis,
ſolutæ in
Ol. Roſarum veri ſtill.
Cinamomi vel Macis ſtill.
Citri veri ex recentibus Corticibus ſtill. ana ſcrupulo uno,
&
Pulv. Sacchari albi unciæ uni permixtæ,

Fiat omnium pulvis ſubtilis, Cor inſigniter roborans: In Peſte, Febribuſque malignis præſtantiſſimus. Poteſt etiam *ſine Ambra* parari.

SPECIES DE GEMMIS CALIDÆ PRETIOSÆ.

Recip. *Magiſt. n. ſolubil. Granatorum lapid.*
Hyacinth. Lapid.

Rubinor.

Rubinor. Lapid. ana drachmas duas,
Coralliorum rub. drachmas sex,
Perlarum Or. drachm. tres,
Bezoar Orient. veri drachmas duas,
Occidentalis veri drachmas tres,
Boli Armeni cum succo vel decocto Scordii præpar. drachmas sex,
Vnicornu fossilis vel mineralis unc. semis,
Bezoardica Cervini, ex typhis simpliciter parati juxta Animadversiones drach. sex,
Cort. Citri extimorum,
Zedoariæ ana drach. quinque,
Rad. Anthoræ,
Contrayervæ ana drachmas tres,
Croci Austriaci,
Macis ana drachmas duas,
Ol. Citri still. veri ex recentiss. Corticibus scrupulos duos,
Cinamomi still. drachmam semis,

Fiant omnibus commixtis, quibusdam per se, nonnullis junctim prius pulverisatis, species compositæ, & pulvis subtilissimus, pretiosus, confortans, & Alexipharmacus, qui omnibus Epidemicis & Pestilentialibus morbis, Cor præcipuè à labe veneni tuendo, opitulatur. In dosi harum & similium specierum non facilè error committitur, etiamsi ad drachmas duas extendatur, communiter verò à scrup. uno ad drach. unam in vehiculo conveniente propinari potest.

SPECIES DE GEMMIS FRIGIDÆ.

Recip. *Magist. n. solub. Lapid. Hyacinth.*
Saphyr.
Smaragd. ana drachm.
duas,
Magist. solub. n. Coralliorum rub. drachmas sex,
Perlarum Orient. drach. tres,
Bezoar Oriental. veri drachm. duas,
Occidentalis drachmas tres,
Vnicornus mineralis unciam semis,
Nitri puriss. crystall. drachmas sex,
Bolo Armeni cum Decocto Cort. Citri insuccati & præparati unciam semis,

Bezoard.

Bezoard. Cervini seu pulv. ex Typhio
Cornu Cervi drachmas sex,
Rad. Acetosæ unciam semis,
Sem. Acetosæ,
Citri excort.
Pæoniæ excort. ana drachmas duas,
Ol. still. Rosarum veri drachmam semis,

Cuncta in pulverem redacta misceantur exactè, fiantque species pretiosæ Febribus ardentibus, ac Cordis Viriumque debilitatibus accommodatæ.

SACCHARUM CITRATUM TABULATUM.

Recip. *Sacchari albiss. pulverisati uncias sex,*
Solvatur s. a. *in s. q. Succi Citri recenter expressi,* (in quo tamen *Cortices Citri extimi* infusi aliquamdiu steterint) sine ebullitione, in patellâ ferreâ, cui ab igne remoto adde

Cortic. Citri recent. extimorum & ad pultis formam minutissimè in mortario lapideo contusorum unc. duas semis,

item

Elæosacchari Citri ex recentium Corticum Oleo stillato parati unciam unam vel unciam unam semis, aut uncias duas,

Fiant l. a. Tabulæ vel Morselli, Cor & Vitales spiritus insigniter roborantes.

Noteturhoc *de Oleo Citri*, quòd si id *ex recentissimis, & nullo modo putrefactis aut fermentatis Corticibus, solâ aquâ affusâ,* illicò destillatum fuerit, illud odore summè fragranti & naturali Citrio gaudere, nec ad multos annos asservatum, rancorem aut viscositatem contrahere, verùm incorruptum permanere: Si verò idipsum ex *fermentatis & vel leviter putrefactis Corticibus* stilletur, odorem ingratum à citrio naturali planè alienum acquirere, nec non tractu temporis ad instar *Terebinthinæ* vel *spiritus Terebinthinæ* olere, & quandoque etiam viscidum & crassum evadere: Hinc Pharmacopœis & qui Medicinam faciunt suadeo, ut potiùs pauco oleo, eoque fragranti & odore naturali citrio gaudente contenti sint, quàm ejus largiori paulò quantitate, odore autem ingrato & Terebinthinato imbuto præsertim si diu asservandum sit. Etenim *guttula una ex recentissimis Corticibus legitimè stillati Olei Citri* magis efficiet cùm in odore, tùm operatione naturali, quàm *decem guttæ ejusdem Olei ex fermentatis aut putrefactis cortibus facti*, cujus quò plus medicamento cuidam immiscetur, eò ingratiore & magis

Tere-

Terebinthinato odore illud inquinat: Proinde non abs re sæpius, vel quotiescunque *Oleum Citri* præscribo, quod ex *recentissimis eorundem Corticibus sine fermentatione prægressâ destillatum est*, sumendum esse præcipio, licet multis surdis, qui levia hæc existimant & vel nauci pendunt, fabulam narrem. Non equidem me latet, quòd *plus Olei ex Corticibus prægressâ fermentatione* destillando acquiratur, quàm *ex recentibus illicò sine ullâ interpositâ morâ destillationi commissis*, verùm leve illius damnum quantitatis, hujus effectus, & qualitas & odoris proprii fragrantia insigniter compensat. Etenim sicuti *ex fermentatis quibusdam frigidioribus naturâ suâ plantis vel vegetabilibus*, utpotè *Rosis spiritus eliciuntur ardentes*, qui nullo modo refrigerante Rosarum virtute vel adstringente aut laxante, sed potius calefaciente pollent, à natura Rosarum primævâ alieni, ita & *hoc Oleum Citri* de quo nobis in præsens sermo est, si *ex fermentatis eorum Corticibus, aut putrefactis*, destillatum fuerit, longè alias, fortè & peregrinas operationes habebit, quàm si *ex recentibus Citriorum corticibus sine prægressâ fermentatione aut putrefactione* paratum fuerit, quòd odor & sapor, qualitatum primarum & secundarum, manifestè produnt. Indies proindè magis magisque perspicio, quàm arduum sit Medicinam facere illi, qui insignes medicinarum differentias & virtutes, solâ quandoque siniſtrâ præparatione emergentes, non noverit, sed cuncta fidei alienæ committere necessum habet.

MORSELLI CEPHALICI REGII.

Recip. *Sacchari albiss. Canar. uncias octo,*
Solvatur in *portiuncula Aquæ Cinamomi* & ad consistentiam tabulati coquatur, in quo ab igne remoto liquefac

Ambræ gryseæ drachmam unam,
superaddendo statim
Conf. flor. Tunicarum ex anatica quantitate florum & Sacchari paratæ,
Nucum Indicarum condit. & crassiusculè concisarum ana unciam unam semis,
Pistachior. decort. & concis. unciam unam,
Elæosacchari Cinamomi drachmas sex,
Rosarum veri unciam semis,

Sumendo *drachmiam unam Olei*, pro *unciâ una Sacchari*, fiantque Morselli confortantes & Cephalici, Caput, Cerebrum ac universum nervosum genus insigniter roborantes.

Inciſa coquantur *in Aquæ ſimplicis libris duabus*, ad remanentiam *libræ unius*, coletur, *cobatura clarificata* denuò ad remanentiam *trium circiter unciarum* in vitreo vaſe evaporet, *reſiduo decocto* adde

Spiritus Vitrioli q. ſ.

Ut in aciditate *Succo Citri vel berberum* æqualæ reddatur. Cum *hoc decocto* ſolve (in patellâ potiùs ferreâ quàm cupreâ, meliùs tamen foret ſi in terreo vitreato vaſe fieri poſſet, nam *ſpiritus acidus vitrioli* ex *cupro aruginem* & *Vitriolum amarum nocivum*, ex *ferro* verò *vitriolum dulce*, *hepati non ingratum*, ac *ad ejus obſtructiones reſerandas perutile* elicit, verum *Roſis additam*, nigredinem efficit ad inſtar atramenti, hinc etiam *Vitriolum Martis* hepati aliàs proficuum, ab hac compoſitione arcere conſultum duxi) ſine ebullitione, uti moris eſt Saccharum aliàs cum liquoribus acidis ad rotulas vel morſellos diſſolvere,

Sacchari albi pulveriſati libram unam,

Cui ab igne remoto adde

Conſ. Roſarum rub. ex æquali quantitate Roſarum & Sacchari facta uncias duas,

Conſ. flor. Junicæ perindè, ex æquali portione Sacchari & florum parata unciam unam,

Conſ. Hepat. nobilis itidem ex anatica parte Sacchari & florum facta, unciam unam ſemis,

Cort. Citri recent. extimorum,

Arant. recent. extim. ana ſubtiliſſimè contuſorum ad pultis formam unciam ſemis,

Magiſt. n. ſolub. Corall. rub. unciam ſemis,

Oculorum Cancror.

drachmas tres,

Nuc. Indic. cond. & craſſ. conciſſ. unciam unam,

Elæoſacchari Cinamomi drachmas ſex,

Roſarum drach. tres,

Fiant l. a. Morſelli delicatiſſimi, hepati & ventriculo debilitato ſuccurrentes.

Nota: reperientur fortè nonnulli Pharmacopœi, qui hos Morſellos, ſimilesque confectiones (paratu non quidem difficiles, ſed nonnihil artificioſiores) dextrè conficere ignorent; Hi non meam inculpent inſcitiam, quòd à communi ſtylo & methodo, quæ *unciam unam ſpecierum*, vel ad ſummum *unciam unam ſemis*, *libræ unius Sacchari* pro Morſellis vel Rotulis conficiendis, admiſcere jubet, declinem, ſed potiùs propriam in arte levitatem inculpent, hoc ſibi firmiter perſuadentes, me, arte pharmaceuticâ inſtructum, nil quicquam quod vel Rationi aut Experientiæ repugnaret ſcripſiſſe: Non Rationi, cùm non *Sacchari gratiâ* hæ Confectiones vel fiant vel ægrotantibus

propi-

propinentur, sed *rerum immixtarum causâ*, quippe quæ unicè operationes, quas ab iis speramus edere debent, *Saccharum verò saltem vehiculi aut corporis ergò* additum est, beneficio cujus in hanc vel illam medicamenti durabilis formam res medicæ & asservari, & delicatulis infirmis commodius propinari possint; quò plures igitur virtutes aut vires *quarundam rerum, aut res ipsæ, Saccharo* imprimi possunt, ut nihilominus ex eo medicamentum aliquod durabile, sive planè solidum, sive liquidum consistentiâ suâ effici queat, gustuique gratum sit, eò veræ Rationi magis congruum, Medico laudabilius, & ægrotis conducibilius erit, secus si fecerimus, Infirmi tùm in sanitate, cùm ære illud luere necessum habent: Nec porrò Experientiæ in similibus Confectionibus describendis monitio hæc refragatur, cùm vel propriis manibus hos & similes paratu etiam difficiliores Morsellos & Rotulas confecerim: Etenim *Conservæ, Fructus recentes, Condita, Cortices recentes contusi, & similia, Saccharum* non exiccant, sed potiùs humectant, quò facilius post *pulveres sicci* immisceri possint; proindè respiciendum est *ad species saccharo immiscendas*, ac habito dein respectu non solùm ponderis, sed & consistentiæ, siccitatis vel humiditatis earum, quibus cognitis, *Saccharum coquendo durius, liquidiùsque* efficiatur, & error nunquam committetur.

MORSELLI CONTRA PHTHISIN.

Recip. *Succi Sempervivi majoris unc. octo*,
in quo ebulliant parùm,
Cancrorum fluviatil. conquassat. rec Nro. Xij.
Coletur & clarificetur Decoctum, cum quo dissolvatur
Sacchari albissimi libra una,
Et ad consistentiam Tabulati coquendo redigantur, cui ab igne remoto adde
Succor. insp. Alchimillæ,
Millefolii,
Consol. Regalis,
Plantag. min.,
Veronicæ ana drach. duas,
Extr. Enulæ drachmam unàm semis,
Symphyti majoris non mucilaginosi drach. tres,
Pul. Irëos Florent. unciam semis,
Croci Austr. drachmam unam semis,
Sacchari Saturni resolub. drachmas tres,
Florum Sulphuris vel Sulphuris vivi splendidi drach. quinque,
Elæosacchari Anisi drachmas sex,

Hyssopi uncias semis,
Pistachior. decorticat.
Pinearum mundat. ana cràss. concìss. drach. sex,
Nuc. Indic. condit. & concìs. drach. quinque,

Fiant Morselli, exulcerationibus internis, pulmonum præcipuè medentes.

MORSELLI STOMACHICI.

Recip. *Calami aromatici unciam unam,*
Galangæ unciam semis,
Incisa coquantur unà atque alterâ ebullitione in
Succi Cydoniorum recentis uncias decem,
Decoctum colatur, & in eo dissolve
Sacchari albissimi libram unam,
ac denuò ad consistentiam Tabulati percoquatur, cui remoto ab igne adde

Zinziberis Indici vel Chinensis cond.
Nuc. Moschat. condit. ana cràss. concìs. unc. unam,
Calami arom. condit. & concìs. unc. semis,
Amyg. dulc. decort.
Pistach. excorticat. ana concìsorum drach. sex,
Macis concìsi drach. tres,
Nuc. Moschat. contusar. cràss. drach. tres,
Cort. Citri recent. extim.
Arant. recent. ana subt. contus. unc. semis,
Piperis longi,
Sem. Eruca,
Cardamomi min. ana drach. tres,
Elæosacch. Cinamomi,
Caryophillorum ana drach. sex,

Fiant s. a. Morselli, qui Stomachum & reliqua Viscera infrigidata confortant, membra insuper nutritionis collapsa & debilia corroborant, & appetitum excitant.

MORSELLI STOMACHICI ALII.

Recip. *Vini Cydoniorum recentis non acidi libram unam,*
Calami aromatici concìsi drachm. quinque,
Galangæ concìsæ drach. tres,
Piperis longi contus. drachm. unam,

Coquantur in vase fictili ad dimidias, coletur, colatura denuò ad remanentiam unciarum trium in vase terreo vitreato evaporet, *cui residuo* adde

Spiritus

Spiritus Sulphuris vel Vitrioli q. ſ.

Ut in aciditate *Succo Citri vel Berberorum* æquale reddatur: Cum hoc acido & aromatizato ſucco diſſolve in patellâ ferreâ ſine ebullitione uti artis eſt,

Sacchari albiſſimi pulv. libram unam,

Huic ab igne remoto ſuperadde

Nuc. Indic. condit.
Zinziberis Indic. cond. ana conciſorum unc. unam,
Cort. Aurantiorum,
Citri ana recentium extim. & ſub. contuſ. ad pultis formam unciam ſemis,
Amygdalarum dulcium decort.
Piſtach. decorticat. ana conciſorum drach. ſex,
Macis conciſ. drach. tres,
Piperis longi contuſi drach. duas,
Cardamomi,
Sem. Erucæ ana craſſ. contuſor. drach. tres,
Elæoſacchari Cinamomi,
Caryophill. ana drach. ſex,

Fiant l. a. Morſelli, Stomachum & Viſcera Naturalia egregiè roborantes, nec nimium ea calefacientes.

TRAGEA GROSSA CEPHALICA PRETIOSA.

Recip. *Flor. recent. Anthos unciam unam,*
Betonicæ,
Tunicæ ana unc. unam ſemis.

Conſcindantur priùs, poſt contundantur in mortario lapideo mi-nutiſſimè, quibus adde

Pul. Radic. Doron. veri drach. ſex,
Nuc. Moſchat unciam unam,
Macis unciam ſemis,
Cardamomi min. unc. unam,
Caryophillorum,
Cubebarum,
Coriandri ana drachmas tres,
Extr. Ligni Aloës n. m. paratis drach. duas,
Ambræ gryſeæ drach. unam
ſolutæ in
Ol. ſtill. Cinamomi drachma ſemis,
Roſarum veri ſcrup. uno,
Majoranæ drach. ſemis,
Moſchi Orientalis ſcrup. unum,

 ſolutis

Hyssopi unciam semis,
Pistachior. decorticat.
Pinearum mundat. ana crass. conciss. drach. sex,
Nuc. Indic. condit. & concis. drach. quinque,

Fiant Morselli, exulcerationibus internis, pulmonum præcipuè medentes.

MORSELLI STOMACHICI.

Recip. *Calami aromatici unciam unam,*
Galangæ unciam semis,

Incisa coquantur unâ atque alterâ ebullitione in

Succi Cydoniorum recentis uncias decem,

Decoctum colatur, & in eo dissolve

Sacchari albissimi libram unam,

ac denuò ad consistentiam Tabulati percoquatur, cui remoto ab igne adde

Zinziberis Indici vel Chinensis cond.
Nuc. Moschat. condit. ana crass. concis. unc. unam,
Calami arom. condit. & concis. unc. semis,
Amyg. dulc. decort.
Pistach. excorticat. ana concisorum drach. sex,
Macis concisi drach. tres,
Nuc. Moschat. contusar. crass. drach. tres,
Cort. Citri recent. exiim.
Arant. recent. ana subt. contus. unc. semis,
Piperis longi,
Sem. Eruca,
Cardamomi min. ana drach. tres,
Elæosacch. Cinamomi,
Caryophillorum ana drach. sex,

Fiant s. a. Morselli, qui Stomachum & reliqua Viscera infrigidata confortant, membra insuper nutritionis collapsa & debilia corroborant, & appetitum excitant.

MORSELLI STOMACHICI ALII.

Recip. *Vini Cydoniorum recentis non acidi libram unam,*
Calami aromatici concisi drachm. quinque,
Galangæ concisæ drach. tres,
Piperis longi contus. drachm. unam,

Coquantur in vase fictili ad dimidias, coletur, colatura denuò ad remanentiam unciarum trium in vase terreo vitreato evaporet, *cui residuo* adde

Spiritus

Spiritus Sulphuris vel Vitrioli q. ſ.

Ut in aciditate *Succo Citri vel Berberorum* æquale reddatur: Cum hoc acido & aromatizato ſucco diſſolve in patellâ ferreâ ſine ebullitione uti artis eſt,

Sacchari albiſſimi pulv. libram unam,

Huic ab igne remoto ſuperadde

Nuc. Indic. condit.
Zinziberis Indic. cond. ana conciſorum unc. unam,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recentium extim. & ſub. contuſ. ad pulvis formam unciam ſemis,
Amygdalarum dulcium decort.
Piſtach. decorticat. ana conciſorum drach. ſex,
Macis conciſ. drach. tres,
Piperis longi contuſi drach. duas,
Cardamomi,
Sem. Erucæ ana craſſ. contuſor. drach. tres,
Elæoſacchari Cinamomi,
Caryophill. ana drach. ſex,

Fiant l. a. Morſelli, Stomachum & Viſcera Naturalia egregiè roborantes, nec nimium ea calefacientes.

TRAGEA GROSSA CEPHALICA PRETIOSA.

Recip. *Flor. recent. Anthos unciam unam,*
Betonicæ,
Tunicæ ana unc. unam ſemis.

Conſcindantur priùs, poſt contundantur in mortario lapideo minutiſſimè, quibus adde

Pul. Radic. Doron. veri drach. ſex,
Nuc. Moſchat unciam unam,
Macis unciam ſemis,
Cardamomi min. unc. unam,
Caryophillorum,
Cubebarum,
Coriandri ana drachmas tres,
Extr. Ligni Aloës n. m. paratis drach. duas,
Ambræ gryſeæ drach. unam
ſolutæ in
Ol. ſtill. Cinamomi drachmas ſemis,
Roſarum veri ſcrup. uno,
Majoranæ drach. ſemis,
Moſchi Orientalis ſcrup. unum,

soluti in
Spiritus Rosarum drach. semis circiter,
Pulv. Sacchari albissimi libram unam,

Misceantur & contundantur in mortario, addendo *Mucilaginis Tragacanthi cum Aq. Rosarum facti q. s.* ad massam tenacem efficiendam, ex qua postea formentur globuli parvi ad instar pilularum, lentium magnitud. & in leniſſimo calore exsiccentur. Hi globuli ut gratiores postea, & Confectioni cuidam Coriandri vel Cubebarum similes appareant & reddantur, *Saccharo albissimo & clarificato, ad debitam consistentiam cocto* (quod Confectariis notum est,) obducantur & crispentur, vel etiam candisentur, sic verè Regia efficietur Confectio Capitalis præstantissima, æquè visui ac gustui gratissima.

Pro iis qui *Ambram & Moscham* ferre nequeunt, vel æri parcere velint, sine *Ambra & Moscho* hæc Confectio vel Tragea conficiatur.

TRAGEA GROSSA CEPHALICA VILIOR.

Recip. *Pul. Cardamomi min.*
Cinamomi opt. ana unciam unam,
Nuc. Moschat. unciam unam semis,
Macis drach. sex,
Caryophillorum unc. semis,
Cubebarum,
Anisi,
Coriandri,
Fœniculi,
Carui ana unc. semis,
Rad. Doron. veri drach. sex,
Resina Ladani;
Storacis ana drachm. unam semis,
Pulverisanda pulverisentur, & additâ
Sacchari albi pulv. libra unâ,
nec non si lubet
Olei Rosarum veri drachma semis,
Efficiatur cum *s. q. Mucilaginis Tragacanthi.* massa tenax, ex qua formentur globuli ad instar pilularum, *Saccharo porrò candido, vel crispaturâ Saccharinâ* apud Confectarios (si Pharmacopœi in Confectionibus parandis non versati sint,) obducendi.

TRAGEA GROSSA STOMACHALIS.

Recip. *Pul. Cinamomi acutissimi*,
Calami aromatici,

Cardamomi

Cardamomi min.,
Nuc. Moschatarum ana unc. unam,
Galangæ,
Caryophillorum,
Macis,
Cubebarum ana drach. quinque,
Piperis longi,
Zinziberis ana drachm. duas,
Sem. Erucæ unc. unam,
Mastichis gran. unc. semis,
Storacis calam. drachm. duas,

Misceantur exactè & additâ

Sacchari albiss. pulv. libræ unâ semis,

nec non

Mucilag. Tragacanthi q. s.

Fiat contundendo in mortario massa tenax, ex qua formentur globuli ad instar pilularum Angelicarum Francofurtensium, qui porrò *Saccharo clarificato candisari vel crispaturâ Saccharinâ* obduci possunt, & efficietur Confectio præstans, Stomacho refrigerato & debilitato proficua.

AD CLASSEM DUODECIMAM, DE TROCHISCIS.

TROCHISCI CEPHALICI SEU CAPITALES.

Recip. *Sacchari albiss. libram unam*,
Solvatur in portiuncula *Aquæ Rosarum vel Cinamomi S.* & denuò ad consistentiam Tabulati parùm coquatur, in quo ab igne remoto dissolve

Ambræ gryseæ scrup. duos vel drach. unam,
Resinæ Styracis drachm. unam,
Extr. Ligni Aloës n. m. parati drach. unam semis,

His benè mixtis & dissolutis superadde statim

Conserv. Beton. ex anat. quantitate Sacchari & florum paratæ uncias duas,
Pulv. Rad. Doronici veri drachm. sex,
Macis,
Nuc. Moschatarum ana drach. tres,
Cardamomi unc. semis,

Coriandri,
Cubebarum ana drach. duas,
Elaosacch. Cinamomi unciam unam,
Caryophillorum unciam semis,
Rosarum veri drachmas duas,

Et cum *s.q. Mucilag. Tragacanthi, aqua Rosarum facta* efficiatur massa, ex qua Trochisci formandi, Cerebrum & totum caput insigniter roborantes.

TROCHISCI CORDIALES REGII.

Recip. *Sacchari albiss. libram semis,*
Solvatur in portiuncula *Aquæ Cinamomi vel simpl.* & ad consistentiam Tabulati coquatur, in quo ab igne remoto dissolve
Ambræ gryseæ drachm. semis,
addendo
Moschi Orientalis opt. scrup. unum,
in
portiuncula *spiritus Rosarum* diluti, & cum *drachmis tribus circiter Sacchari pulverisati* permisti,
Cortic. Citri,
Arantiorum ana recent. extim. & subtilissimè contusorum drach. tres,
Elaosacch. Cinamomi unc. unam,
Rosarum veri unc. semis,
Macis drach. tres.

Misceantur omnia exactè, ac cum s.q. Tragacanthi in Aq. Rosarum soluti, fiat massa tenax, ex qua Trochisci efformandi; qui vires collapsas confortant, spiritus vitales & animales recreant, ac insuper anhelitum gratum efficiunt.

PASTILLI PECTORALES ANTIPHTHISICI.

Recip. *Radicum Enulæ,*
Iridis Florent. una unciam unam,
Glycyrrhizæ drach. sex,
Flor. Papaver. errat. unciam semis.
Violarum Martial. drachmas tres,

Incisa coquantur *in Aqua simpl. s.q. libris tribus circiter*, ad casum medietatis, coletur, colatum denuò ad unc. quatuor circiter evaporet in vase terreo, quod interim asservetur.

Jam

Recip. *Sem. Papav. albi unc. unam,*

Melonum,

Melonum,
Cucurbitæ ana excort. drach. ſex,
Amygd. dulc. decort. unc. unam,
Benzoës opt. unc. ſemis,

Contundantur optimè in mortario ad pultis formam cum *ſuperioris decocti aſſervati ſuff: quant:* ac per ſetaceum ad inſtar pulpæ transmittantur, huic pulpæ adde

Sacchari Penidii vel
Sacchari Canar. alb. pulv. uncias octo,
Pulv. Croci Auſtriaci drachm. tres,
Irëos Florent. unc. unam,
Florum Sulphuris unc. ſemis,
Liquiritiæ raſæ drach. tres,
Elæoſacch. Aniſi,
Fœniculi,
Cinamomi ana unciam unam,

Et contundendo in mortario lapideo efficiatur paſta, ex qua formentur paſtilli oblongi, vel etiam Trochiſci, ſi *Pulpa ſuperior* non ſuffecerit ad maſſam tenacem efficiendam, addatur *de ſuperiori adhuc reſiduo inſpiſſato decocto* quantum pro juſtâ conſiſtentiâ requiritur. In Catarrhis à capite deſcendentibus feliciter illis uti licet; pectus leniunt, & ſputum facilitant.

TROCHISCI SUBLINGUALES ALEXIPHARMACI ET ANTI-PESTILENTIALES.

Recip. *Cortic. Citri recent. extim. unciam unam ſemis,*
Herb. recent. Rutæ,
Scordii ana drach. ſex.

Contundantur opt. in mortario lapideo ad pultis formam ut per ſetaceum veluti transmitti poſſint, quibus adde

Pulv. Sacchari albiſſ. Can. unc. ſex vel octo,
Croci Auſtriaci drachm. tres,
Extr. Enulæ,
Zedoariæ ana drach. duas,
Ol. ſtill. Rutæ,
Caryophillorum ana drach. ſemis,
Nuciſtæ expreſſi ſcrupulos duos,

Fiat ex omnibus exactè mixtis contundendo in mortario maſſa, ex qua formentur Trochiſci parvi ſublinguales.

AD CLASSEM DECIMAM TERTIAM, DE PASTIS ODORATIS.

PASTA SEU MASSA ODORATA PRO MULIERIBUS.

Recip. *Resinæ Ladani drach. sex,*
Styrac. calam. unc. semis,
Quibus parumper in mortario nonnihil calido liquatis adde
Pulv. Gum. Benzoes,
Animæ ana drach. tres,
Caryophill. drach. sex,
Ligni Aloës gum. opt. drach. tres,
Macis,
Nuc. Moschat. ana unc. semis,
Rad. Ireos Florent. drach. sex,
Ol. still. Cinamomi,
Citri ex recentibus Corticibus,
Majoranæ ana scrupulum unum,
Nucistæ express. drachm. semis,
Balsam. Indici de Peru drach. duas,
Misceantur, fiatque massa odorata.

PASTA ODORATA ANTIPESTILENTIALIS.

Recip. *Cortic. Citri recent. extim. unciam unam,*
Rutæ recentis unc. unam semis,
Baccar. Iuniperi unc. unam,
Contundantur optimè in mortario ad pultis formam, quibus adde
Resinæ Storacis,
Ladani ana unc. semis,
Balsami Indici de Peru drach. tres,
Camphoræ unc. semis,
Ol. still. Citri ex recent. Cortic.
Rutæ ana drach. unam,
Caryophill.
Iuniperi ex baccis,
Succini ana syrup. duos,
Nucist. expressi drachmam unam semis,
Misceantur, & fiat contundendo in mortario calido massa odoris grati.

SAPO

SAPO ODORATUS.

Recip. *Saponis Veneti libram unam vel duas,*
Conſcindatur in taleolas quæ Soli exponantur, ſæpiùs tamen illas aquâ ſimplici humectando de die, donec veluti albeſcant, ultimò autem benè exſiccentur. Poſteà *cum dicto Sapone, & floribus Iaſmini vel Roſarum* fiat ſtratum ſuper ſtratum, in vaſe largo, & aliquo pondere comprimantur, die poſtero ſeparentur *flores à Sapone, & recentibus floribus* denuò ſtratificetur. Hæc ſtratificatio ſæpiùs & quoties libuerit reiteretur vel repetatur, donec odore ſufficiente *florum* imbuatur *Sapo*. Dum hæc fiunt ſimiliter *cum Amygdalis dulcibus excorticatis & benè ſiccatis*, ac *floribus dictis Iaſmini vel Roſarum* ſæpiùs etiam ſtratificatio fiat, donec *Amygdalæ* perindè odore Jaſmini vel Roſarum ſufficienter imbutæ ſint. Hinc

Recip. *Amygdalarum odoratarum unc. quatuor,*
Contundantur pt. in mortario eum *ſ. q. Aquæ Roſarum* ad pultis minutiſſimæ formam, ut per ſetaceum transmitti poſſint, *cui pulpæ* adde

Saponis Veneti itidem odoriferi libr. unam ſemis,

Contundantur diu in mortario donec per intima & minima commixta ſint, addendo

Pul. Rad. Irëos Flor. uncias duas,
Moſchi Orient. ſcrupul. ſemis vel ſcrup. unum,
Ziberhi ſcrupul. unum vel drachm. ſemis,
Olei Roſarum veri drach. ſemis,

Miſceantur exactè, fiantque globuli fragrantiſſ. qui præter odorem & fragrantiam hoc virtutis habent, ut aſperitatem cutis leniant, glabramque, ſubtilem & albicantem illam reddant.

AD CLASSEM DECIMAM QUARTAM,

DE CONFECTIONIBUS ANTIDOTALIBUS ET OPIATIS.

CONFECTIO SEU ANTIDOTUS ALEXIPHARMACA REGIA.

Recip. *Rad. Angelicæ,*
Anthoræ,
Contrayervæ,
Imperatoriæ,

Leviſtici,

Leviſtici,
Morſus Diaboli,
Zedoariæ ana unciam unam,
Herb. recent. Scordii noſtrat.
Rutæ hortenſis ana unciam unam,
Croci Auſtriaci unc. unam,
Cort. Citri recent. & extim. unciam unam,
Baccarum Iuniperi unc. duas,
Lauri excort. unc. unam,
Opii præparati per exhalationem ſpiritus Narcotici drachmas tres,

Conſcindantur, contundanturque craſſiuſculè, ac cum *ſ. q. ſpiritûs Vini repetitis vicibus affuſi*, extrahatur earum eſſentia tota, quouſque *ſpiritus* non ampliùs tingatur, Extractiones omnes ad conſiſtentiam Electuarii liquidi evaporent deſtillando, *cui extracto liquido* adde

Pulv. Bezoar. Orient. veri drach. ſex,
Occidentalis unciam unam,
Vnicornu mineralis,
Terræ Sigillatæ Sileſ. ana unc. duas,
Bezoardici n. auvei ſuprà edocti drach. ſex,
Eſſentiæ Sulphuris Saccharinæ alexipharmacæ infrà edocendæ unc. ſex vel octo,
Olei Nuciſtæ expreſſi unc. ſemis,

prius cum

Pulv. Sacchari albiſſimi permiſti,
Elæoſacchari Rutæ ana unc. unam ſemis,

Fiatque ſ. a. Electuarium juſtæ conſiſtentiæ & Confectio Alexipharmaca præſtans.

ESSENTIA SULPHURIS ALEXIPHARMACA SACCHARINA PARETUR MODO SEQUENTI:

Recip. *Sulphuris vivi ſplendidi, ſive florum Sulphuris pulver.*
Salis Tartari puri ana unc. unam ſemis

Mixta in patellâ terreâ ſupra ignem leniſſimum, ne *ſulphur* accendatur, liquefiant in maſſam rubicundam ad inſtar hepatis. *Huic Maſſæ in pulverem redactæ*, ac Alembico parvo vel phialæ immiſſæ ſuperaffunde

Ol. ſtill. Citri ex recent. Corticibus,
Rutæ hortenſis ana unciam ſemis,
Iuniperi ex baccis recentis unc. unam,

Myrrhæ

Myrrhæ rubræ drach. duas,
Camphoræ drachm. unam semis,
Macis drach. duas,

Factâque digestione in calore lenissimo, donec rubicundissimo imbuantur colore, sine fœtore, separentur olea affusa & tincta per filtrum & additis

Sacchari albiss. pulv. unciis decem,

Misceantur in Elæosaccharum seu essentiam Sulphuris sacchari-nam siccam. Sin verò Essentia Sulphuris Alexipharmaca liquida, vel Balsamus Sulphuris expetatur, paretur hunc in modum:

Recip. *Hepatis Sulphuris uti suprà parati unc. tres,*
Myrrhæ rubræ drach. sex,
Camphoræ drach. tres,

Mixta inque pulverem redacta, Alembico vitreo parvo immittantur, & superaffusis

Ol. still. Citri ex recent. Cortic.
Rutæ hortensis ana drachmis sex,
Angelicæ drach. tribus,
Iuniperi unciis tribus,
Macis unciâ semis,

digerantur leniissimo in calore, quoad rubicundissimo imbuantur colore, hinc balsamus à fœcibus separandus, cui ultimò jungantur

Extracti Croci Austriaci drachm. duæ,
soluti priùs cum
Spiritûs Vini rectificatissimi unc. una semis,

Et omnibus exactè unitis fiat essentia seu balsamus Alexipharmacus, præstantissimus, dosis scrup. semis, ad scrupulum unum, & drachm. semis.

ANTIDOTUS ALEXIPHARMACA ALIA.

Recip. *Rad. Angelicæ unc. tres,*
Contrayervæ unc. duas,
Enulæ campanæ,
Levistici,
Imperatoriæ,
Pimpinellæ,
Succisæ,
Valerianæ,
Vinceroxici ana unc. tres,
Herb. Scordii,
Rutæ ana unc. quinque,

Hæc

Hæc cuncta recentia si possibile vel ad minimùm recenter siccata, incidantur contundanturque crassiusculè, & cum *s. q. Aqua simplicis, repetitis vicibus affusa*, coquantur ad totalem virtutum prolectionem. Decoctiones omnes albumin. ovorum clarificatæ ad consistentiam Extracti liquidioris in vase terreo vitreato evaporent, *servatâ tamen libra unâ vel alterâ* hujus decocti pro dissolutione *Rob Iuniperini & Sambucini*. Decocto autem inspissato adde

Mellis purissimi clarificati libras quatuor,

item,

Rob Iuniperini,
Sambucini ana libram unam, dilutorum cum superiori asservatâ libra decocti, & per setaceum colat.

Et junctim ad pristinam *mellis* consistentiam crassam leniter coquendo evaporent. *Huic Melli alexipharmacâ virtute abundè jam impregnato*, porrò adde

Pulv. Viperarum vel Serpentum Germanicorum n. m. parati unc. quinque,
Pulv. ex Typhis Cervinis, in Animadversionibus edocti uncias tres,
Pul. Rad. Contrayervæ unc. unam semis,
Anthoræ unc. unam,
Zedoariæ unc. duas,
Croci Austr. diluti cum Vini Citrati suff. quant. drach. sex,
Myrrhæ rubræ cum eodem Vino Citrato dilutæ unc. duas,
Macis,
Cinamomi opt.
Sem. Citri,
Napi Sylvestris,
Rutæ hortensis ana unc. unam,
Opii Thebaici per exhalationem spiritûs sui Narcotici parati, vino Citrato diluti & colati unciam semis,
Essentiæ Sulphuris Saccharinæ Alexipharmacæ superius paulò edoctæ, unc. sex,
Ol. Nucistæ expressi pulv. Sacchari permisti, unc. semis,

His omnibus exactè mixtis s. a. fiat Antidotus sive Electuarium justæ consistentiæ præstantissimum, cujus dosis drach. una, ad drach. tres, & unc. semis.

CON-

CONFECTIO CORDIALIS REGIA.

Recip. *Cort. Citri recent. extimorum unc. octo,*
Arantiorum recent. extim. unc. quatuor,
Nucum Indic. conditarum uncias sex,
Macis opt. unc. unam,
Essentiæ Citri siccæ saccharinæ in Animadversionibus edoctæ unc. sex,

Contundantur opt. & diu in mortario lapideo ad pultis subtilissimam formam, ut per setaceum transmitti possit, cui adde

Extr. Croci Austriaci drach. duas,
Ligni Aloës gummosi unciam semis,
permisti priùs cum
Ol. Nucistæ expressi drachmis sex,
&
Sacchari albi pulverisati unciis quatuor,
Magist. Granorum Kermes humidi adhuc parum in Animadversionibus edocti unc. tres,

Quibus immisceantur & veluti dissolvantur,

Magist. n. solubil. Coralliorum unc. duæ,
Perlarum Orient. unc. una,
Ambræ gryseæ drachm. tres,
solutæ in
Ol. still. Cinamomi drach. duabus semis,
Caryophill. drachmâ unâ,
Rosarum veri drachma semis,
Moschi Orientalis drachma unâ,
soluti in
Spiritûs Rosarum ardentis drachmâ unâ semis,
Syrupi n. Acetosit. Citri, cum propriis Corticibus parati q. s. ad Electuarii justam consistentiam.

Misceantur omnia exactè in vase terreo vel mortario lapideo, & servetur in vitro benè clauso, tanquam Regia Confectio, quæ certè multis parasangis Confectionem Alkermes antecellet, proindè meritò laudibus extollenda est, in Epilepsiâ, Apoplexiâ, Lypothimiâ, Syncope, Senio decrepito, Peste, morbisque malignis, spiritus enim omnes recreando, fovendoque multum valet. Dosis drach. semis ad drach. unam & drachm. duas.

CONFECTIO CORDIALIS ALIA.

Recip. *Cortic. recent. extim. Citri uncias sex,*
Arantiorum unc. tres,

Flor. recent. Citri,
Aurantiorum ana uncias tres semis,
Rosarum rubr.
Tunicæ ana uncias quatuor,

Conscindantur & contundantur minutissimè in mortario lapideo ad pultis formam, quibus interim servatis, accipe

Granorum Kermes drachmas sex,

Et cum *s. q. Aquæ simplicis repetitis vicibus affusæ*, additis aliquot granis *Salis Tartari*, extrahatur coquendo Tinctura & Essentia eorum tota; Decoctionibus colatis adde

Sacchari albi libras duas semis,

Et denuò ad consistentiam Tabulati decoquantur, quibus dum adhuc fervent injiciantur protinus *superiores flores & Cortices minutim contusi*, & his exactè mixtis porrò superadde

Magisterii Granorum Kermes humidi adhuc parum unctores, quibus
Magist. n. solubil. Coralliorum unc. duas,
Perlarum uncia una,

immiscentur & in iis veluti dissolvantur, item,

Ambræ gryseæ drachmæ duæ,

solutæ in

Ol. still. Cinamomi drachma una semis.,
Rosarum veri drach. semis,
Macis drachma una, &
Pulv. Sacchari alb. unciis tribus permistæ,

nec non

Moschi Orientalis drachma una,

soluti in

Spiritus Rosarum portiunculâ,
Syrupi præterea ex succo Kermes, si in promptu sit,

vel hujus loco adde

Syrupi Acetosit. Citri cum propriis Corticibus parati unciæ quatuor circiter, vel q. s. pro Electuarii justâ consistentiâ,

instillando ultimò

Spiritus Vitrioli aliquot guttulas,

Fiat l. a. Confectio Cordialis nobilis & delicatissima

Nota: Quòd si nonnemo has præscriptas Confectione Cordiales nobiliores & efficaciores reddere voluerit, additione *auri*, is *Croci n. Auri purpurei, in Animad. edocti, vel Bezoard. n. Auræi superius paulò descripti, drachmas tres vel unciam semis*, plùs minusvè addat.

CON-

CONFECTIO HEPATICA CALIDA.

Recip. *Rad. Pimpinellæ,*
Enulæ campanæ,
Apii ana recentium unc. quatuor,
Mundentur & conscindantur crassiuscule quadratè, lignosâ parte abjectâ, coquantur postea in
Succi Agrimoniæ,
Chamædryos,
Hepat. nobilis ana depurat. libra unâ,
Absinthii depurati libra semis,
Pomorum redolent. depurat. libris duabus semis,
quousque molliscant, ac si condiri deberent, quibus sufficienter coctis interimque asservatis, accipe *succos residuos à decoctione radicum* & additis
Sacchari albi libris duabus,
porrò coquantur ad Syrupi crassioris consistentiam immittendo ultimò *superiores coctas consciasque radices*, parumque adhuc ebulliant junctim ad debitam consistentiam, quibus superinjice
Nuc. Moschat. condit. & crass. concisarum unc. tres,
Zinziberis Indici cond. & concis. unc. duas semis,
Carnis Citri cond. & concisæ uncias quatuor,
Conservæ Cochlearias,
Hepat. nobilis,
Nasturtii hortensis ana ex anatica quantitate herb. & Sacchari parat. unc. tres,
Pulv. Cardamomi min.
Nuc. Moschat. ana unc. unam,
Sem. Eruca unc. unam semis,
Nasturtii unc. unam,
Magist. n. solubil. Coralliorum rub. unc. unam semis,
Elæosacchari Cinamomi unc. unam,
Spir. Salis drachm. duas, vel q. s. pro grato sapore,
Misceantur omnia benè in Electuarium justæ consistentiæ, quod Cachecticis, ad Hydropem inclinantibus, opitulatur, (præmissis tamen universalibus) Obstructiones enim Viscerum referat, & ad urinam proliciendam aptum est; Dosis manè & vesperi unciam semis circiter vel uncia una.

CONFECTIO HEPATICA REFRIGERANS.

Recip. *Rad. recent. Cichorii unc. sex,*
Pimpinellæ,
Petroselini ana uncias quatuor,
Mundentur opt. abjectis partibus lignosis interioribus, conscindanturque crassiusculè & quadratè, postea coquantur in
Succi Endiviæ,
Cichorii,
Acetosæ,
Acetosellæ ana depurat. libra una,
Pomor. redolent. depur. libra una semis,
Quousque mollescant, ac si condiri deberent, radicibus sufficienter coctis, interimque asservatis accipe *succos à decoctione radicum residuos*, & additis
Sacchari albi libris duabus semis,
Denuò ad consistentiam Syrupi crassioris decoquantur, immittendo ultimò *superiores coctas & conscissas radices*, parumque adhuc ebulliant ad debitam consistentiam & exhalationem aquositatis radicibus coctis adhærentis, quibus porrò superinjiciantur
Carnis Citri cond. & crass. concis. unc. quatuor
Lactucæ Hispan. cond. & concis. unc. tres,
Conf. Rosarum rub. ex æqua parte Rosarum & Sacchari paratæ unciæ octo,
Conf. Florum Tunicæ. itidem ex æquali portione Sacchari & flor. paratæ unciæ tres,
Conf. Hepaticæ nobilis, etiam ex æquali pondere flor. & Sacch. factæ unc. quatuor,
Cortic. Citri recent. exim. & subtil. contusorum unciæ duæ,
Spiritus Vitrioli q. s. pro grato sapore,
Misceantur exactè in patellâ ferreâ vel vitreo vase. Hepatis & præcordiorum æstum refrigerat, visceraque naturalia roborat & confortat: Febricitantibus insuper ac viscerum incendio laborantibus summoperè conducit. Dosis est cassaueæ quantitas, vel uncia semis ad unciam unam.

CONFECTIO SIVE CONDITUM PECTORALE ANTIPHTHISICUM.

Recip. *Radic. recent. Enulæ Camp. unc. sex,*
Cichorii unc. quatuor,
Papav. errat. unc. tres,

Radici-

Radicibus omnibus mundatis, Cichorii & Papav. errat. ab internâ lignosâ & durâ parte separatis, coquantur in

Succ. Millefolii,
Plantag. min.
Alchimillæ,
Veronicæ ana unc. octo,
Hederæ terrest. unc. quatuor,
Decocti fortis Radicum Iridos,
Cancrorum fluviat. ana clarificat. unc. decem,

Donec mollescant ac si condiri deberent, quibus sufficienter coctis, & à succis residuis separatis addantur

Radic. Symphyti majoris separatim ad mollitiem in Aq. simpl. coctarum, unc. quatuor,

Conscindantur & contundantur in mortario lapideo ad formam pultis, quâ pulpâ interim servatâ accipe *succos à decoctione Radicum residuos*, & additis

Mellis puri Virginei clarificati libris tribus,

coquantur ad consistentiam crassam, immittendo ultimò superiores coctas & conscissas radices, ac denuò adhuc parùm ebulliant ad pristinam crassam mellis consistentiam, quibus porrò superinjiciantur

Conf. Rosarum Damasc. ex partibus æqual.
Flor. & Sacchari paratæ unc. X.
Conf. Violarum Martial.
Hederæ terrestr.
Veronicæ ana ex æquali pondere flor. & Sacch. fact. uncias quatuor,
Balsami Sulphuris Anisati n. m. parati sine fœtore unc. unam semis,

prius tamen cum

Pulv. Sacchari albi unciis quatuor circiter in Elæosaccharum permisti.
Sacchari Saturni resolub. ex Minio facti drach. quinque,

Misceantur debitè in conditum, quod tussiculosis & pulmonum exulcerationibus sæpiùs & frequenter exhibitum medetur, accipiantur pro dosi uncia semis vel drachmæ sex circiter, & ad minimum ter de die.

Nota. Qui *pulverem Mastichis & Olibani* addere voluerit, me judice non malè fecerit.

CONFECTIO SPLENETICA.

Recip. *Rad. recent. Enula Campan.*
Pimpinella,
Fœniculi ana unc. as quatuor,
Mundentur & lignosâ parte priùs abjectâ, conscindantur crassiusculè quadratè & superaffusis
Succ. depurat. Hederæ terrestr.
Matrisylvæ,
Scolopendrii,
Verbenæ,
Pomorum redol. ana unciis XI.
Decocti fortis Tamarisci corticum
&
Rad. Capparum clarific. libra unâ,
Coquantur ad mollitiem, quibus interim servatis, succi jam à decoctione radicum residui, additis
Sacchari albi Can. libris duabus,
Coquantur ad consistentiam crassam Syrupi, immittendo ultimò *superiores coctas & incisas radices* & adhuc parumper ebulliant, ad debitam & satis crassam consistentiam, superaddendo
Cons. Cochleariæ,
Nasturtii hortensis,
Rorismarini ana ex æquali pondere herbar. &
Sacchari paratæ unc. quatuor,
Magist. n. solubil. Oculorum Cancror. unc. duas,
Corallior. rub. unc. unam,
Pulv. Nuc. Moschat.
Cardamomi,
Sem. Ruccæ,
Nasturtii ana unciam unam,
Elæosacchari Cinnamomi,
Caryophillorum ana drachm. sex,
Spirit. Salis Armeniaci acidi superius descripti unciam semis, vel q. s. pro grato sapore,
Misceantur opt. in vase vitreo vel lapideo pro Condito Splenetico, quod Lienis obstructiones potenter reserat, ejusque tumores & scirrhosas durities solvit. Dosis manè & vesperi uncia semis, vel uncia una.

CONFECTIO STOMACHICA.

Recip. *Rad. recent. Calami aromat. unciæ quatuor,*
Cichorii,

Cichorii,
Pimpinellæ ana uncias sex,

Mundatæ & à lignosa parte separatæ radices conscindantur quadratè & crassiusculè, postea coquantur in

Succi Cydoniorum recentis libras sex,

ad earum mollitiem, inque vase terreo; Radicibus sufficienter coctis, interimque asservatis; accipe *succum residuum a radicum decoctione,* & additis

Sacchari albissimi Canar. libr. tribus,

Coquantur porrò ad Syrupi crassioris consistentiam, immittendo ultimò *superiores crassiores radices coctas & crassiusculè concisas,* parumper adhuc ebulliant ad debitam consistentiam, quibus superinjice

Nuc. Moschat. condit. & crass. concisarum uncias quatuor,
Zinziberis Indici cond. & concisi uncias quinque,
Succolatæ Indicæ uncias tres semis,
Amygd. dulc. decort.
Pistach. enucleat. ana crass. concis. uncias tres,

Item contus. crassiusculè

Caryophyllorum drachmas sex,
Cardamomi minoris unciam unam,
Piperis longi,
Nuc. Moschat. ana unciam unam,
Elæosacchari Cinamomi unc. unam semis,
Spiritus Vitrioli q. s. pro grato sapore.

Misceantur omnia exactè, fiatque Electuarium, sive Confectio ad Ventriculum confortandum, nauseam & vomitum sedandum, concoctionem juvandam præstantissima, horis matutinis, à meridie, ante & post cœnam sumenda.

AD CLASSEM DECIMAM QUINTAM,

DE AQUIS DESTILLATIS.

AQUA ANTAPOPLECTICA.

Recip. *Vini Malvatici vel Hispanici libras sex,*
Spiritus Vini rectificati libras octo vel decem,
Ceraforum nigr. ardentis libras duas,

Quibus immergantur successivè, & quidem tempore Veris.

Flor. recent. *Lilior. Convall. libra una,*
Acaciarum,
Cheyri ana uncia quatuor,
Lavendulæ uncia sex,
Paralyseos,
Persicorum,
Pæoniæ,
Tiliæ,
Tunicæ ana uncia quatuor,
Herb. recent. *Basilici,*
Betonicæ,
Horminis seu Salv. sylvest.
Majoranæ,
Menthæ crispæ odorat.
Pulegii,
Rorismarini,
Salviæ,
Serpilli,
Verbenæ ana florescent. unc. quinque
Cardamomi min. unc. una semis,
Cinamomi opt. uncia sex,
Coriandri uncia duæ,
Cubebarum uncia una semis,
Garyophillorum uncia duæ semis,
Cyperi rotundi radic. uncia una,
Macis uncia una semis,
Nuc. Moschat. uncia duæ semis,
Baccar. Lauri,
Iuniperi ana uncia tres,
Sem. Eruca,
Zedoariæ ana uncia duæ,

Factâque maceratione destillentur ad siccitatem ferè specierum, in arena (ultimò leniter vel in balneo, ne species comburantur) capitello vel ejus rostro prius immissis

Rad. Doronici veri,
Pæoniæ recentis ana drachm. sex,
Ligni Aloës gummosi,
Rhodii,
Santali Citrini ana uncia semis,
Visci quercini uncia una,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. & exim. drachmis quinque,

Et

Et absolutâ destillatione, pro majore harum specierum extractione, *aquæ destillatæ spirituosæ has ipsas species* aliquandiu immergantur, quæ per filtrum tandem separandæ, aqua verò usui asservanda est; cui tamen si volupe fuerit

Julapii nostri de vino libra una,

vel ampliùs, pro sapore magis grato addi potest.

In confortando cerebro, & nervoso genere universo, præstantissima est, memoriam & intellectum acuit, ac insuper ab Apoplexiâ & Paralysi præservat.

§ Nota. Qui *Ambram & Moschum*, pro dimidiâ saltem parte hujus Aquæ, addere voluerit, præstantiorem multò illam efficiet: possent autem cum aliis speciebus capitello immittendis aquæ destillatæ pro exactiore virtutum extractione, immergi.

AQUA CORDIALIS.

Recip. *Aq. Cerasorum nigr.*
Fragorum,
Liliorum Convall.
Melissæ Citratæ,
Rosarum fragrant.
de Rubo Idæo ana sine additione aquæ simpl. stillat.
libras duas,

Quibus immergantur successivè tempore Veris,

Herb. recent. Basilici,
Melissæ citratæ ana uncias sex,
Flor. recent. Arantiorum,
Anthos cum foliis,
Buglossæ,
Citri ana uncias quatuor,
Flor. Lilior. convall. recent. libra una,
Tiliæ,
Tunicæ,
Violarum Martial. ana unc. quatuor,
Rad. Irëos odorat. Florent. unciæ tres,
Macis unciæ duæ,
Cort. Citri recent. extim.
Arantior. recent. ana unciæ quatuor,

Factâ pòst maceratione sufficiente destillentur, Alembici rostro immissis & in petia ligatis

Ligni Aloës opt.
Rhodii ana drachmis tribus,
Et si lubet
Moschi Orientalis scrupulo semis,

Ambræ gryseæ scrupulo uno,
Fiat Aqua Cordialis præstantissima.

AQUA ANTEPILEPTICA.

Recip. *Aq. Lilior. Convall. cum Vino, vel planè sine liquore affuso still. libr. tres,*
Aq. Betonicæ,
Flor. Tiliæ ana sine additionē vel affusione aquæ simpl. still. libras duas semis,
Spiritūs Cerasor. nigr. ardentis libram unam,
Rosarum ardentis libram semis,
Vini Malvatici vel Hispanici libras quatuor,
His mixtis & unitis liquoribus immergantur successu temporis
Flor. recent Acaciarum,
Cheyri ana uncias quatuor,
Lavendulæ uncias tres,
Lilior. Convall. libra una,
Paralyseos,
Persicorum,
Pæoniæ,
Tiliæ ana uncias quatuor,
Herb. recent. Basilicon.
Majoranæ,
Rorismarini ana uncias tres semis,
Cardamomi min. uncia una,
Cinamomi acuti uncias quatuor,
Cubebarum uncia una,
Coriandri uncias duas,
Macis uncia una semis,
Nuc. Moschat. unc. duas,
Rad. Pæoniæ recent. unc. tres,
Factâque digestione & maceratione sufficienti, destillentur per arenam, ferè ad siccitatem specierum, rostro Alembici immissis, inque petia ligatis,
Visci quercini,
Rad. Pæoniæ recentis ana unc. una,
Doronici veri drachmas sex,
Aquæ destillatione prolectæ ultimò si lubet adde
Magist. n. solub. Coralliorum unc. quinque,
Spir. Veneris n. suprà edocti unc. tres,
Vel Aqua simpliciter servata, absque *Magisterio Coralliorum & Spiritu Veneris*, quotiescunque in usum Epilepticis trahi debet, talis parętur mixtura, utpotè

Recip.

Recip. *Aquæ prædictæ Epilept. unc. ſex,*
Magiſt. n. ſolubilis Corall. unciam ſemis,
Spiritus n. Veneris drachm. tres,
Syr. de Pæonia n. unc. unam ſemis.

Miſceantur pro uſu, cujus doſis unc. ſemis, ſæpiùs ſumenda, ad minimùm bis terve de die, pro ratione ætatis.

LIQUOR ALEXIPHARMACUS.

℥ Recip. *Cort. Citri recent. extim. drachm. ſex,*
Sem. ejuſdem drach. tres,
Card. bened.
Rutæ ana drach. duas,
Myrrhæ rubræ drach. unam ſemis,
Amygd. dulc. decort. pro exactiori diſſolutione Myrrhæ drach. tres,

Contundantur benè in mortario cum ſufficiente quantitate
Aquarum Scordii,
Scorzoneræ,
Rutæ ana unc. tres,

Fiat emulſio, quæ colanda, colaturæ addendo
Syr. de Scordio n. ſimpl. unc. unam ſemis,
Corticibus Citri n. unc. unam,
Mixturæ ſimpl. drachm. ſemis vel drach. unam,

Miſceantur pro tribus circiter doſibus.

LIQUOR CORDIALIS CALIDUS.

Recip. *Cort. Citri recent. extimorum unc. unam,*
Arantiorum recent. extim. unc. ſemis,
Cinamomi acutiſſ. conciſi drachm. tres,
Caryophillorum drachm. ſemis,
Nuc. Moſchat. drachm. unam,
Sacchari Candi albi unciam unam ſemis,

Contundantur opt. in mortario lapideo ad pultis formam, pòſt diluantur cum
Vini Neccarini boni libris duabus,

Colentur, colatura filtretur per manicam Hippocratis, cui addatur
Succi Citri vel Limon. recenter & jamjam expreſſi unc.
una ſemis, vel duæ,
Syr. de Fragis, vel de Cinamomo,
Rubo Idæo ana unc. unam ſemis,

Magist. n. solubil. Coralliorum drach. semis,
Perlarum scrupulus unus.

Misceantur pro usu, cujus unciæ duæ vel tres in morbis frigidis, præcipuè senio confectis, ad instar potûs Hippocratici propinari possunt.

LIQUOR CORDIALIS FRIGIDUS VEL REFRIGERANS.

Recip. *Cort. Citri recent. extim, unc. unam,*
Aurantiorum recent. extim. unc. semis,
Ambræ gryseæ grana tria,
Granorum Kermes drach. semis,
Sacchari albiss. candi unc. unam semis,

Contundantur opt. & diu in mortario lapideo ad pultis minutiss. formam, post diluantur cum

Succi Cydoniorum recent. libra una,
Aqu. Melissæ Citratæ,
Liliorum Convall.
Rosarum fragrantiss. ana unc. quatuor,

Et colentur, colaturæ addendo

Succi Citri recenter & jamjam expr. unc. duas semis,
Syr. Granatorum unc. unam semis,
Magist. n. solubil. Coralliorum drach. semis,
Perlarum scrup. unum,

Misceantur pro potu cordiali & refrigerante, cujus unciæ duæ vel tres æstuantibus & debilitatis ægrotis frequenter propinari possunt: pro his autem qui Ambram ferre nequeunt, illa omittatur.

LIQUOR LITHONTRIPTICUS.

Recip. *Nucl. Persicorum unc. tres,*
Cerasorum unc. unam semis,
Rad. recent. Apii unc. duas,
Liquiritiæ,
Petroselini,
Pimpinellæ ana uncias tres,
Raphani hortens. unc. sex,
Herb. recent. Rutæ murariæ uncias duas,
Sem. Apii,
Nasturtii,
Thlaspios nostr. ana unc. unam semis,

Bacc. Iuniperi,
Alkekengi ana unc. duas,
Ligni Nephritici unc. unam semis,
Cinamomi acuti unc. unam,
Macis unciam semis,

Nuclei Cerasorum & Persicorum, semina item, bacca nec non Alkekengi & Iuniperi contundantur minutissimè in mortario cum *q. q. Aquæ Rosarum* ad formam pultis, his addantur *radices recentes fruticulæ comminutæ*, & reliqua concisa ac contusa, quibus omnibus mixtis ac cucurbitæ vitreæ immissis superaffundantur

Spiritus Cerasorum nigr. unc. sex.
Iuniperi libra una,
Vini boni libræ quatuor,

Factâque digestione septimanâ unâ vel alterâ, coletur & exprimantur species; *Essentiæ expressæ & filtratæ* addantur

Syr. de Fragis,
Rubo Idæo ana unc. sex,
Spiritûs Salis philosophici drachma una semis,

Mixta denuò filtrentur, usuique asserventur. Dosis uncia semis ad unciam unam in vehiculo convenienti.

ACETUM ANTIPESTILENTIALE, SEU THERIACALE.

Recip. *Rad. Anthoræ unc. semis,*
Angelicæ unc. unam semis,
Contrayervæ unc. unam,
Enulæ,
Morsus Diaboli,
Zedoariæ ana unc. duas,
Herb. recent. Scordii,
Rutæ hortensis,
Melissæ citratæ ana unc. tres,
Croci Austriaci drachm. tres,
Granorum Iuniperi unc. duas,
Cort. Citri recent. extim. unc. duas semis,
Sem. Citri,
Rutæ ana drach. sex,
Myrrhæ rubræ unc. unam semis,

Incisa & contusa crassiusculè immergantur *libris septem Aceti cum Rosis contusis recentibus destillati*, stent in infusione loco calido, vitro benè clauso per septimanam, coletur post, filtreturque, *filtrato aceto* adde

Mellis citrati n. m. parati libram unam semis,

Misce

Misce & usui asservetur, Dosis drach. duæ, tres, ad unciam semis.

ACETORUM MEDICINALIUM VERA PRÆPARATIO SUB FORMULA SEQUENTI ACETI ROSACEI SIT COMPREHENSA.

Recip. *Rosarum recent. Damascen. contusarum libr. tres,*
immergantur in
Aceti Vini boni libris octo,
Factâ digestione brevi, destilletur vel abstrahatur per Alembicum vitreum *acetum* ad siccitatem ferè *Rosarum, destillato Aceto* denuò immerge
Florum Rosarum rub. recent. libram unam,
tempore Vernali,
vel
Rosarum rub. exsiccat. unc. sex,
tempore Hyberno,
Stent in infusione diebus aliquot, colatur pòst, filtreturque, ac usui reponatur.

EPITHEMA CAPITALE LIQUIDUM.

Recip. *Nucl. Persicorum unc. unam,*
Cerasorum unc. semis,
Rad. Cyperi rotundi drach. duas,
Herb. recent. Basilici,
Betonicæ,
Majoranæ,
Melissæ,
Verbenæ,
Fol. recent. Nucis Ingland. ana unc. semis,
Flor. recent. Rosarum sale condit. unc. unam,
Sambuci,
Tunicæ ana unciam semis,
Nucum Moschat drachm. duas,
Camphoræ drachm. unam,
Contundantur optimè & diu in mortario ad formam pultis, pòst diluantur cum
Aceti Rosacei,
Sambucini,
Tunicæ ana modo priori paulò suprà indigitato parati unc. quatuor,

Aq.

Aq. Liliorum Convall.
Betonicæ,
Majoranæ,
Lavendulæ,
Rosar. fragrant. ana unciis duabus,

Colentur per linteum rarum & exprimantur, ut subtilior pars *specierum contusarum*, transigatur. Fiat Epithema quod linteolis duplicatis vel multoties convolutis, ac in eo madefactis, fronti & temporibus applicetur.

EPITHEMA CORDIALE ET PRO PULSIBUS LIQUIDUM.

Recip. *Cort. Citri recent. extim.*
Aurantiorum recent. ana drach. sex,
Croci Austriaci drach. semis,
Herb. Melissæ recentis,
Majoranæ recentis ana unc. unam.
Rosarum recent. sale condit. & contus. unc. unam,
Florum Tunicæ recent. unc. semis,
Cinamomi opt. pulveris. drachmas duas,
Macis drachm. unam semis,
Sem. Citri drachm. unam,
Kermes drach. semis,
Camphoræ drachm. semis,

Contundantur minutissimè in mortario, pòst diluantur cùm
Aceti Rosacei,
de Rubo Idæo ana n. m. parat. unc. quatuor,
Aq. Lilior. convall. cum Vino Still.
Rosarum fragrantiss. ana unc. duas,

Colentur per linteum rarum, ut subtilior pars specierum contusarum una cum liquoribus transeat, fiatque Epithema nobile, linteolis duplicatis & in eo madefactis, regioni cordis & pulsibus applicandum.

EPITHEMA HEPATICUM LIQUIDUM APERIENS.

Recip. *Rad. recent. Bryoniæ,*
Enulæ,
Apii ana unc. semis,
Herb. recent. Agrimoniæ,
Epat. nobilis,
Absinthii,

Perſicariæ,
Naſturtii aquat. ana unc. unam,
Roſarum rub. recent. & ſale condit. unc. unam ſemis,
Camphoræ drach. tres,
Gummi Ammoniaci drachm. ſex,
Storac. Calam. drach. duas,
Baccar. Iuniperi unc. ſemis,

Contundantur diu multumque & ſubtiliſſimè in mortario, diluantur poſt cum

Aceti Roſacei n. m. parati,
Vini albi boni ana unc. ſeptem,
Aquæ Roſarum unc. ſex,
Spiritus Salis Armeu. acidi unciam unam.

Colentur per linteum rarum, ut ſubtilior pars ſpecierum contuſarum tranſeat per colatorium, fiatque epithema, quod petiâ triplâ vel quadruplâ in eo madefactâ hepatis regioni calidè applicandum.

EPITHEMA SPLENETICUM LIQUIDUM APERIENS.

Recip. *Rad. recent. Bryoniæ,*
Enulæ,
Pimpinellæ,
Raphani majoris ana unc. unam,
Herb. recent. Cochleariæ,
Matriſylvæ,
Naſturtii hortenſis,
Perſicariæ,
Verbenæ ana drachm. ſex,
Sem. Naſturtii drach. tres,
Erucæ drach. duas,
Bacc. Iuniperi unc. ſemis,
Gummi Ammoniaci unc. unam,
Camphoræ drach. tres,
Macerin drach. duas, &
Caryophillorum drach. unam odoris gratia,

Radicibus priùs radulâ comminutis, & *herbis recentibus* conſciſſis, contundantur omnia diu multumque in mortario lapideo ſubtiliſſimè, pòſt diluantur cum

Vini albi chalybeati unc. octo,
Aceti roſacei unc. quatuor,
Decocti vel infuſi Tabaci infumati cum vino facti unc. ſex,

Spir.

Spir. Salis Armeniaci acidi unciam unam,

Coletur per colatorium linteum rarum, per quod subtiliores partes *specierum contusarum* transire possint, fiatque Epithema, quod peritâ quadruplâ, in eo madefactâ regioni splenis calidè applicari potest.

EPITHEMA PECTORALE.

Recip. *Rad. Enulæ recent. unc. unam,*
Iridis Florent.
Liquiritiæ ana unc. semis,
Caparum recent. unc. duas,
Herb. recent. Hyssopi,
Hederæ terrest. ana unc. unam,
Millefolii unc. semis,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana drach. tres,
Raparum alb. drach. duas,
Gummi Benzoës,
Camphoræ ana drach. tres,
Macis drach. duas,

Radicibus radiculâ priùs comminutis, *herbisque recentibus sonsessis*, contundantur diu in mortario, pòst diluantur cum

Vini albi boni unciis decem,
Aq. Hyssopi,
Hederæ terrestris ana unc. quatuor,
Rosarum fragrant. unc. duas,

Coletur per linteum colatorium rarum, & exprimantur species, fiatque Epithema pectorale, quod linteolis convolutis & in eo madefactis pectori calidè & sæpiùs applicetur.

EPITHEMA STOMACHICUM CALEFACIENS.

Recip. *Rad. recent. Calami aromat. unc. unam,*
Herb. recent. Menthæ crispæ,
Absinthii,
Rorismarini,
Salviæ ana drach. sex,
Cardamomi min.
Cinamomi opt.
Caryophillorum,
Macis,
Nuc. Moschat.

Piperis longi ana drachm. duas,
Baccarum Lauri unc. semis,
Mastichis el.
Styracis calam. ana drachm. tres.

Contundantur diu multumque in mortario, post diluantur cum

Vini Malvatici libra una semis;
Spiritus Vini unciis quatuor,

Coletur per linteum colatorium rarum, ut potiores specierum contusarum partes per illud transeant, liquor colatus & expressus, pertiá quadruplâ in eo madefactâ regioni stomachi sæpiùs applicetur calidè.

Nota. Non mirare Lector benevole, quòd præmissa hæc Epithemata ac plura alia medicamenta, ex radicibus & plantis recentibus utplurimum conficere præceperim, quæ tamen singulis anni temporibus non prostent. Factum enim est ob maximam vim, & efficaciam quam plantis recentibus præ exsiccatis tribuo, quæ quamvis non singulis anni temporibus germinare soleant, nihilominus hæc ipsa Epithemata (quæ pro quolibet infirmo tempore Verno, Æstivo & Autumnali, sigillatim parari possunt,) urgente necessitate sat diu in cellariis incorruptè asservari possunt, si, uti moris est, in succis herbarum conservandis, vitris strictioris orificii imponantur, ac oleo superfuso ab aëre præserventur.

AD CLASSEM DECIMAM SEXTAM,

DE OLEIS COCTIS.

OLEUM ABSYNTHII.

Recip. *Absynthii recentis nostrat. minutim concisi & contusi libr. unam semis,*
Olei Olivarum (vel si lubet, *Olei amygd. dulcium*) *etiam libram unam semis,*

Stent in infusione loco calido, post coquantur parum, non tamen ad totalem humiditatis exhalationem, colato & expresso dein Oleo, & à residentiâ postquam aliquandiu quietè steterit separato, adde

Olei absynthii stillati unc. semis, vel drach. sex,

Et servetur usui pro roborando stomacho efficacissimum. Ad eundem modum *reliqua Olea simplicia odorifera*, utpotè *Majoranæ, Menthæ*, &c. confici possunt.

OLEUM

OLEUM ANTAPOPLECTIÇUM.

Recip. *Ol. ſtill. Succini unc. unam,*
Salviæ drachm. ſex,
Ceræ unc. ſemis,
Coriandri,
Majoranæ,
Lavendulæ,
Roriſmarini ana drachm. duas,
Nuc. Moſchatarum drach. tres,
Miſc. ſerveturque uſui.

OLEUM CARMINATIVUM ANTICOLICUM.

Recip. *Olei Olivarum recentis libras duas,*
Cui immergantur inciſa & contuſa craſſiuſculè,
Herb. recent. Calaminthæ mont. unc. tres,
Menthæ criſpæ uncias quatuor,
Pulegii floreſcentis,
Summit. recent. Anethi ana uncias tres,
Florum Chamomillæ recent. uncias quinque,
Cortic. Arant. recent. extim. uncias tres,
Baccarum Lauri,
Iuniperi ana unc. duas,
Semin. Carui,
Coriandri,
Cumini ana unc. unam,
Opii thebaici uncias ſemis,
Stent in infuſione loco calido diebus aliquot, factaque pòſt unâ atque alterâ ebullitione in Alembico vitreo ſuo capitello munito, ut id quod ebulliendo tranſit reaffundi poſſit, coletur dum omnia refrixerint, & exprimantur fortiter ſpecies, *Oleo expreſſo* adde, & in eo liquefac leniſſimo in calore
Camphoræ unc. duas,
Ol. ſtill. Carni,
Ceræ ana unc. unam,
Miſceantur, & ſervetur tàm pro interno quàm externo uſu, verum anodynum Oleum, hinc & Hyſtericis affectibus emolumento eſt.

OLEUM LACERTARUM CONTRA HERNIAS.

Recip. *Olei Nucum jnglandium libr. duas ſemis*,
Cui immergantur
Lacertarum viridium XXiiij,
Et in eo ſuffocari & emori permittantur, digerantur pòſt vitreo in vaſe benè clauſo per menſem, in Sole vel in arena, ſeparetur tandem quod clarum eſt per decantationem, & uſui aſſervetur in longum tempus. Eſt probatiſſimum Oleum in Hèrniis curandis, ſi illud debitè & dextrè applicetur, rebus nonnullis additis.

OLEUM NERVINUM.

Recip. *Olei Olivarum recentis libras tres*, Cui immerganturincisa & contuſæ craſſiuſculè
Gemmarum populi arboris recentium unc. ſex,
Summitat. Abietis arboris reſinoſ. unc. quatuor,
Iunipери unc. tres,
Herb. recent. Calaminthæ mont.
Menthæ odorat.
Origani,
Pulegii,
Roriſmarini,
Salviæ,
Serpilli,
Satureiæ,
Ivæ arthetica,
Florum recent. Chamomillæ,
Lavendulæ ana unc. duæ,
Baccarum Lauri unc. tres,
Macerantur ſeptimanâ unâ vel alterâ, pòſt ebulliant parum in Alembico vitreo ſuò capitellò munitò, ut particula quæ prodit humiditatis reaffundi poſſit, tùm fiat colatura & fortis herbarum expreſſio: *Expreſſum Oleum* à reſidentia dum aliquandiu quietè ſteterit, ſeparetur, cui addantur
Lumbricorum terreſt. vivorum unc. octo,
Et factâ uncia ebullitione denuò coletur, colato ſuperaddendo
Ol. Still. Salviæ,
Majoranæ ana drach. tres,
Ceræ unc. unam,
Fiatque Oleum Nervinum præſtantiſſimum.

OLEUM

OLEUM STOMACHICUM COMPOSITUM.

Recip. *Olei Olivarum recentis libras duas,*
Cui immergantur, minutim concisa

Absinthii nostrat.
Menthæ crispæ odoriferæ ana recent. unc. quinque,
Rorismarini,
Salviæ ana recent. unc. tres,
Calami aromat. recent. uncias tres semis,
Baccarum Lauri unc. duas,
Iuniperi unc. una,
Caryophillorum unc. semis,
Styrac. calam. unciam unam,

Factâ digestione suffic. ebulliant parum in Alembico vitreo, sub capitellò munitò, ut *humiditas quæ transit*, reaffundi possit *residuo*, coletur tandem Oleum dum omnia refrixerint, speciesque exprimantur; expresso, colato, & à resident ia, postquam aliquandiu quietè steterit, separato vel decantato Oleo adde, ac in eo liquefac

Mastichis elect. unc. tres,
Ol. Nuc. Moschat. expressi. unc. uniam semis,

Misceantur exactè leni in calore, fiat Oleum Stomachicum nobile, tùm externo cùm interno usui destinandum.

AD CLASSEM DECIMAM SEPTIMAM,

DE UNGUENTIS.

UNGUENTUM AD AMBUSTA.

Recep. *Butyri recentis non salitii,*
Ol. Olivarum recentis ana libram unam semis,
Quibus immergantur
Granorum viridium Iuniperi conquassat. libra una,
Florum recent. Sambuci unc. sex,

Factâ digestione diebus aliquot, & coctione vel ebullitione leni coletur, colato adde

Albuminum ovorum conquassat. libr. unam vel libr. unam semis,

Miſceantur conquaſſando diligenter, ut fiat linimentum album, præſentiſſimum remedium ad omnia ambuſta, ſingularis autem ejus requiritur utendi modus: Patienti enim ſæpiùs & multoties de die & nocte locus ambuſtus hoc unguento plumâ vel pennâ gallinæ inungatur, nullis autem adhibitis ligaturis, ſed linteolo veluti perforato undique pars ambuſta leniter tegatur, donec cruſtæ ſponte decidant, & ad ſanitatem reducatur, nullo cicatricis veſtigio remanente.

ALIUD AD EADEM.

Recip. *Baccarum viridium Iuniperi libr. unam,*
Cremoris Lactis vulgò Milchraum/ *non acidi, libr. unam ſemis,*

Coquantur ſimul in formam Unguenti, coletur, quo cum locus ambuſtus, primâ die ſingulis ferè horis, ſecundâ die ſingulis alternis, & tertiâ porrò die ſingulis ternis horis, leniter inungatur pennulâ gallinæ, pars ambuſtæ non obvolvatur multum faſciis, ſed ſaltem linteolo foraminulis pervio tegatur, ut ſemper exhalare poſſit calor.

UNGUENTUM CARMINATIVUM.

Recip. *Axungiæ porcinæ recentis libr. tres,*
Cui immergantur inciſa & contuſa
Summitat. recent. Anethi,
Herb. recent. Apii,
Fœniculi,
Meliſſæ,
Menthæ,
Pulegii,
Serpilli ana unc. tres,
Flor. recent. Chamomillæ Roman.
Roſarum,
Sambuci ana unc. quatuor,
Sem. Anethi,
Aniſi,
Cari,
Coriandri,
Cumini,
Dauci,
Fœniculi ana unc. unam ſemis,
Macidis unc. unam,
Styracis calam. reſin. unc. duas,

Stent in infuſione ſeptimanâ unâ vel alterâ, factâque poſt unâ alterave ebullitione, coletur & exprimantur ſpecies, *expreſſo* adde

Camphoræ

Camphoræ unc. duas,
Ol. ſtill. Aniſi,
Carui,
Ceræ,
Fœniculi ana drach. tres,
Majoranæ drachmam unam,

Fiat Unguentum nobile, dolores Colicos & Hyſtericos inſignitèr compeſcens, cùm intra corpus ſumptum, tùm externè regioni umbilici inunctum, vel etiam gutturi inferiori immiſſum.

UNGUENTUM CEPHALICUM.

Recip. *Axungii porcinæ recentis libras duas,*
Cui ſucceſſu temporis immergantur inciſa & contuſa,
Gemmarum populi arboris recent. unc. tres,
Herb. recent. Betonicæ,
Baſilici,
Majoranæ,
Menthæ aquat.
Roriſmarini,
Rutæ ana uncia una ſemis,
Fol. recent. Nucis jugland. unc. duas ſemis,
Flor. recent. Acaciarum,
Cheyri,
Lavendulæ,
Perſicorum,
Roſarum Damaſcen.
Sambuci ana unc. duas,
Tunicæ unc. unas ſemis,
Croci Auſtriaci drach. tres,
Limacum recentium Nro XX.

Stent in infuſione in cellario ſeptimànis aliquot, factâ pòſt aliquali ebullitione, non verò ad totalem humiditatis exhalationem, in Alembico quidem vitreo ſuo capitello munito, ut id quod tranſit ſequenti pulpæ addi poſſit, coletur, & exprimantur ſpecies, *expreſſo* adde *pulpam ſequentem*, utpotè

Recip. *Nucleorum Perſicorum unc. duas ſemis,*
Ceraſorum unc. unam ſemis,
Camphoræ unc. ſemis,

Contundantur optimè in mortario ad pultis ſubtiliſſimæ formam, cum *ſ. q. Aquæ ſuperiùs aſſervatæ*, & per ſetaceum cogantur, ac ſuperiori Unguento expreſſo viridi odorifero ſub continuâ agitatione uniantur, addendo adhuc

Ol. ſtill. Majoranæ drachm. unam,

Nucistæ expressi unc. unam,
Cretæ Colonienſis pulveriſatæ uncias tres,
Fiat Unguentum nobile capitale, fronti, temporibus, & occipiti ad inſtar Emplaſtri applicandum.

UNGUENTUM CORDIALE.

Recip. *Axungiæ porcinæ recentis libram unam ſemis,*
Cui immergantur ſucceſſu temporis, minutim prius inciſa & contuſa ſequentia, utpotè

Herb. recent. Meliſſæ citratæ,
Baſilici ana unc. una ſemis,
Roriſmarini,
Majoranæ ana unc. una,
Flor. recent. Borraginis,
Buglоſſæ ana unc. ſemis,
Citri,
Lavendulæ,
Tunicæ,
Violarum Martial. ana unc. una,
Roſarum fragrantiſſ. unc duæ,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. & extim. drach. ſex,
Croci Auſtriaci drach. duæ,
Cinamomi acuti drach. ſex,
Caryophill. unc. ſemis,
Maceris,
Nuc. Moſchat. ana unc. ſemis,
Styracis calamitæ,
Benzoës ana drach. ſex,

Factâ maceratione, coquantur etiam parum in Alembico vitreo ſuo capitello munito, & recipiente præpoſito, non ad totalem ſed aliqualem humiditatis exhalationem, vel prolectionem, quæ tamen prolecta humiditas Unguento ultimò colato addi poteſt: fiat porrò colatura cum forti expreſſione ſpecierum, expreſſo & colato adde

Ol. Still. Citri ex recentiſſ. non putrefactis corticib. drach. duas,
Roſarum veri drach. ſemis,
Majoranæ drach. unam,
Nucistæ expressi unc. unam,

Ex omnibus benè mixtis fiat Unguentum Cordiale præſtans, cui & *Ambra & Moſchus* pro lubitu addi poteſt.

UNGUEN-

UNGUENTUM HEPATICUM APERIENS ET ROBORANS.

Recip. *Axung. porcinæ recentis libras tres,*
Cui immergantur sequentia incisa & contusa, utpote
Rad. recent. Apii,
Asari,
Calami arom.
Enulæ,
Fœniculi,
Levistici,
Pimpinellæ,
Valerianæ ana unc. duas.
Herb. recent. Agrimoniæ,
Absinthij,
Betonicæ,
Hepat. nobilis,
Nasturtii hortensis,
Persicariæ,
Rorismarini ana unc. una semis,
Florum recent. Papav. errat. unc. duas,
Rosarum rubearum unc. tres,
Baccarum Iuniperi,
Lauri ana unc. una,
Semin. Carui,
Fœniculi ana drach. sex,
Myrrhæ rubræ unc. duas,

Peractâ diuturnâ maceratione in cellario, coquantur ad aliqualem humiditatis exhalationem, & si lubet in Alembico vitreo suo capitello munito, uti sæpius monui, fiatque pòst colatura & expressio, colato & expresso adde

Gum. Ammoniaci pulverisati unc. tres,
soluti cum s. q.
Spiritus & phlegmatis acidi salis Armeniaci cum frumento still. ad pultis formam,
Item,
Camphoræ unc. duas,
solutæ in
Ol. Nucl. persicorum expressi unciis duabus,
Ligni Rhodii still. unc. semis,

Et fiat ex omnibus legitimè mixtis Unguentum Hepaticum aperiens.

UNGUENTUM NERVINUM.

Recip. *Axungiæ porcinæ recent. libr. duas, ſemis,*
Canis recentis non rancidæ libr. ſemis,
Humanæ recentis unc. quatuor,
Quibus commixtis immergantur ſequentia per vices & ſucceſſu temporis, ſingula tamen inciſa & contuſa, nimirum
Gemmarum populi arboris recentium unc. quatuor,
Summit. Abietis vel Laricis arboris recent. (vulgò Fahrene Gipffel) *tempore Veris, unc. tres,*
Summitat. Iuniperi recent. tempore etiam Veris unc. tres,
Herb. recent. Calaminthæ mont.
Chamæpyt.
Majoranæ,
Menthæ criſpæ odoratæ.
Origani,
Pulegii ana unc. duæ,
Roriſmarini unc. quatuor,
Salviæ unc. quinque,
Serpilli floreſc.
Thymi floreſc. ana unc. unam ſemis,
Flor. recent. Chamomillæ Roman. unciam duam,
Lavendulæ unc. tres,
Paralyſeos unc. unam,
Bacc. Lauri unc. tres,
Factâque maceratione ſufficienti, in cellario, ebulliant parum in Alembico vitreo, ſuo capitello munito, & præpoſito recipiente, pro receptione particulæ humiditatis quæ tranſit, poſt dum adhuc parum calent, fiat colatura cum forti expreſſione ſpecierum infuſarum, expreſſo ſtatim immergantur
Lumbricorum terreſt. benè purg. unc. ſex,
ac in eo emori & ſuffocari permittantur, factâque adhuc unicâ ebullitione vel ſaltem digeſtione in Alembico vitreo, denuò coletur Unguentum, & *à Lumbricis* ſeparetur, ſuperaddendo particulam humiditatis, vel aquæ odoriferæ per Alembicum coquendo prolectæ, uti ſuperiùs juſſi, item
Ol. ſtill. Salviæ drachm. duas vel unc. ſemis,
Majoranæ drach. unam,
odoris grati gratia.
Et fiat Unguentum Nervinum nobile, cui ſi quis *balſamum Indicum de Peru* addere voluerit, nobiliùs multò Unguentum efficiet.

UN-

UNGUENTUM SPLENETICUM.

Recip. *Axung. porcinæ recentis libr. tres,*
Cui immergantur ſequentia inciſa & contuſa, utpotè
Rad. recent. Apii,
Bryoniæ,
Helenii,
Pimpinellæ ana recent. unc. tres,
Valerianæ unc. duas,
Bulb. Alii unc. duas ſemis,
Herb. recent. Hederæ terreſt.
Matriſylvæ,
Naſturtii,
Perſicariæ,
Plantag. acutæ minoris,
Roriſmarini,
Scolopendrii ana unc. tres,
Verbenæ unc. quatuor,
Cort. recent. Fraxini,
Tamariſci ana unc. unam,
Capparum recent. ſale condit. unc. tres,
Baccarum Iumperi unc. duas,
Sem. Erucæ,
Naſturtii ana unc. unam ſemis,

Factâ maceratione, coquantur parum & colentur, exprimanturque, expreſſo adde

Pul. Gum. Ammoniaci,
Sagapeni ana unc. duas,
ſoluti cum
Vini chalybeati &
Spir. Salis Armen. acidi ana q. ſ. ad pultis formam,

Non multum coquendo, ne ſubtiliores & penetrantiores gummatum partes in coctură exhalent, propterea pulveres prædictorum gummatum non abs re ſumendos præcipio, quia facilius diſſolvi vel dilui poſſunt, & ſine colatura (ob quam liquidiora effici deberent, & denuò ac neceſſariò coquendo ad competentem conſiſtentiam inſpiſſari) unguento dextrè admiſceri.

Item adde

Camphoræ unc. duas,
ſolutæ pariter in
Oleor. Tartari ex Cremore ſtill. & rectificati unc. unam ſemis,
Succini ſtill. unc. unam,

Fiat

Fiatque Unguentum Splenèticum, omnibus exactè mixtis, cui, si lubido esset, *Olei Coriandri & Lavendulæ vel Majoranæ* propter odorem gratum nonnihil addi posset.

UNGUENTUM SEU BALSAMUM STOMACHICUM.

Recip. *Ol. Nucistæ expressi unc. duas,*
Still. Absinthii,
Calami aromat.
Carui,
Caryophillorum,
Majoranæ ana drach. unam,
Masticis,
Menthæ ana drachm. unam semis,
Granorum Masticis,
Resinæ Styracis-calam. ana unciam semis,
Ladani drach. duas,
Gum. Tacamachacæ unc. semis,

Omnibus leniſſimo in calore liquatis superadde, cùm tamen priùs refrixerint,

Balsami Indici de Peru drach. quinque,

Fiat balsamum nobile stomachicum, cùm interno tùm externo usui accommodandum.

AD CLASSEM DECIMAM OCTAVAM,

DE EMPLASTRIS.

EMPLASTRUM HEPATICUM.

Recip. *Terebinthinæ claræ & odoratæ unc. sex,*
in qua liquescant
Pul. Gum. Ammoniaci unc. unam semis,
Elemi,
Sagapeni ana unciam unam,
Pul. Myrrhæ unc. unam semis,
His liquatis adde
Ceræ flavæ odoratæ & novæ unc. quatuor,

Et dum adhuc liquata in diplomate hærent superinjiciantur sequentes *herbæ & Radices, recentes* minutissimè incisæ & contusæ, utpotè

Rad.

Rad. recent. Apii,
Calami arom.
Enulæ Camp.
Pimpinellæ ana uncia una semis,
Herb. recent. Agrimon.
Absinthii,
Hepat. nobilis,
Nasturtii hortensis,
Persicariæ ana uncia una,
Flor. recent. Rosarum rub. unc. una semis,
Camphoræ unciæ duæ,
solutæ in
Ol. Nucleorum persicorum expressi unc. unæ,
Succini still. uncia semis.
Item superinspergantur
Pul. Santali rubri,
Bacc. Lauri,
Olibani ana unc. una vel unc. una semis,
Fiatque s. a. Emplastrum justæ consistentiæ.

EMPLASTRUM NERVINUM.

Recip. *Terebinthinæ claræ odoratæ unc. sex,*
in qua liquefac
Gum. Caranne puriss. unc. unam,
Pul. Gum. Tacamach. unc. duas,
Elemi,
Animæ,
Sagapeni ana unc. unam semis,
Mastichis el. unc. duas,
His liquatis adde sequentia commixta & liquefacta simul jam dum in alia patella, utpotè
Cereæ flavæ odoratæ novæ unc. octo,
Axung. Humanæ unc. duas,
Canis recent. unc. tres.
Et dum adhuc liquata in diplomate hærent superinjiciantur subsequentia subtilissimè incisa & contusa, nimirum
Gemmarum Populi arboris recentium unc. quatuor,
Summitat. Abietis vel Laricis, (vel vulgò Fahrerne Gipffel*) uncia duæ,*
Sumit. Iuniperi recent. uncia una semis,
Herb. recent. Calaminth. mont.
Chamæpyt.
Majoranæ ana unc. una semis,

Roris-

Rorismarini,
Salviæ hortens. ana unc. tres,
Item,
Pul. Croci Austr. uncia una semis,
diluti ad formam pultis cum
pauxillo Vini albi,
in quo
Lumbricorum terrestrium unc. duo
ebullierint,
Pul. bacc. Laur.
Olibani,
Myrrhæ ana unc. duæ semis,
Et in fine cum quasi refrixerint, immisceantur,
Balsami Indici de Peru uncia una,
Ol. still. Salviæ,
Majoranæ ana drachm. una semis,
Misceantur exactè, & fiat s. a. Emplastrum Nervos & Membra debilitata egregiè roborans.

EMPLASTRUM ANTIPODAGRICUM.

Recip. *Terebinthinæ claræ odoratæ unc. sex,*
in qua liquefac
Gummi Carannæ puriss. unc. unam,
Pul. Gum. Animæ,
Elemi,
Ladani,
Tacamachacæ ana unc. duas,
His exactè leniissimo in calore unitis & solutis, adde sequentia paulatim & per vices, invicem jamdum etiam in alio vase leniter liquata, utpotè
Ceræ novæ odoratæ flavæ unc. octo,
Olei Saponis Veneti cum silicibus still. & suprà edocti unc. tres,
Mastichis electi unc. duas semis,
Serventur mixta & liquata in diplomate, (hoc est, patella cui hæc Emplastri ingredientia inhærent, aquæ calidæ sit immersa,) ac statim superinjiciantur *sequentes herbæ & flores recentes*, minutissimè & subtilissimè incisa & contusa ad pultis formam, nimirùm:
Vsneæ Acaciarum selectiss. & puriss.
Fol. Hederæ arboreæ recentium,
Herb. Chelidoniæ minoris ana unc. quatuor,
Gemmarum Populi arboris recent. unc. quinque,

Flor.

Flor. recent. Rosarum rub. unc. quatuor,
Sambuci,
Verbasci ana unc. quinque.
Item,
Pul. Croci Austr. vel Orient. unc. una semis,
Diluti ad formam pulticulæ cum q. s.
Decocti fortis Cancrorum fluviatilium & Limacum recent.
Pulv. Olibani,
Sandaracæ,
Succini albi ana unc. duas semis.
Cretæ Colonienſis unc. octo,
Alumin. Rochæ unc. tres,
Camphoræ unc. duas,
solutæ leniter in
Ol. Ovorum è vitellis expressi unc. duabus semis,
Misceantur exactissimè in dicto diplomate, & fiat Emplastrum Anodynum nobile, quod partibus dolentibus Arthriticis applicatum, materiam peccantem extrahit, ejusque acorem destruit, dolores lenit, partes insuper & articulos insigniter roborat.

EMPLASTRUM SPLENETICUM.

Recip. *Terebinthinæ liquidæ odoratæ unc. sex,*
in qua liquefac
Pul. Gum. Ammoniaci unc. tres,
Elemi,
Sagapeni ana unc. unam semis,
Mastiches,
Myrrhæ ana unc. unam,
His leniter in diplomate liquatis adde
Ceræ flavæ odoratæ unc. octo,
Ol. Tartari ex Cremore still. & rectificati unciam unam semis,
Succini still. unc. unam,
Et dum adhuc liquata in diplomate calent, superadde subsequentia subtilissimè incisa & contusa, utpotè
Herb. recent. Cicutæ unc. quatuor,
Nasturtii hortensis,
Persicariæ,
Rorismarini ana unc. tres,
Verbenæ unc. quatuor,
Item superinspergantur
Pul. Olibani opt.

Myrrhæ

Myrrhæ rubræ ana unc. duæ,
Nicotianæ seu Tabaci infumati unc. una semis,
Camphoræ unc. duæ,
solutæ cum
Ol. Vini still. uncia una,
contundendo in mortario sine igne ad formam pulticulæ.

Fiat omnibus exactè mixtis Emplastrum Spleneticum præstans.

EMPLASTRUM STOMACHICUM.

ATENEO VENETO VENEZIA

Recip. *Terebinthinæ bonæ vel Cypriacæ unc. sex,*
in hac liquescant
Pul. Gum. Tacamachacæ unc. duæ,
Ladani unc. una semis,
Mastichis unc. duæ semis,
Storacis calam. uncia una semis,
His unitis & liquatis in diplomate, dum adhuc calent superadde sequentia subtilissimè incisa & contusa, videlicet
Herb. recent. Absinthii nostr.
Majoranæ,
Menthæ,
Roris marini,
Rad. recent. Calami aromat. ana unc. tres,
Pul. Bacc. Lauri unc. duas semis,
Caryophillorum unc. unam semis,
Nuc. Moschat. unc. duas,
Olibani,
Myrrhæ ana unc. unam semis,
Et ultimò, cùm parum refrixerint, porrò inspergantur
Balsami Indici de Peru unc. una,
Ol. Nucistæ expressi unc. semis,
Misceantur exactè & fiat Emplastrum Stomachicum efficacissimum.

EMPLASTRUM ANTIVENEREUM.

Recip. *Mercurii seu Argenti vivi uncias quatuor,*
solvatur in
Aquæ fortis bonæ suffic. quant.
solutioni adde
Axungiæ porcinæ recent. unc. octo,
fit in vase terreo vel fictili æquantur ad consistentiam emplastri mol-

mollioris, (ſpatulâ vel rudiculâ ligneâ continuò hinc indè commovendo) ſeu ad conſumptionem humiditatis, cui adde

Ceræ flavæ odoratæ unc. duas
Pul. Maſtichis,
Olibani ana drach. ſex,

Fiat Emplaſtrum, quòd omnia ulcera Gallica perſanat, cryſtas abſumit ſine ullo doloris ſenſu, quocunq; etiam in loco ſecreto hæreant.

AD CLASSEM DECIMAM NONAM,

DE CERATIS.

CERATUM DE BETONICA CEPHALICUM.

Recip. *Reſinæ Styracis calam.*
Ladani ana unc. unam ſemis,
Terebinthinæ claræ odoratæ uncias quatuor,
Gum. Animæ,
Benzoës ana unc. unam,
Maſtichis,
Tacamachacæ ana unc. unam ſemis,
Ceræ flavæ odoratæ unc. ſex,
Ol. ſtill. Coriandri,
Lavendulæ ana drach. unam ſemis,
Majoranæ drach. duas,
Succini drach. ſex,
Nuciſt. expreſſi unc. ſemis,

His omnibus exactè & leni calore in diplomate liquatis, &, ſi opus eſt, per linum & qualum colatis, dum adhuc calent injiciantur *ſequentes herbæ & flores* minutiſſimè inciſi & contuſi, utpote

Fol. recent. Betonicæ cum floribus unc. quatuor,
Nucis Juglandis arboris,
Roriſmarini,
Salviæ ana unc. tres,
Verbenæ unc. duas ſemis,
Flor. recent. Acaciarum,
Cheyri,
Perſicorum,
Sambuci ana unc. unâ,
Gemmarum Populi arboris recent. unc. duas,

Item ſuperinſpergantur

Pul. Rad. Cyperi rot. unc. una
Sem. Coriandri,
Ligni Aloës,
Nuc. Moschat.
Olibani,
Succini albi ana unc. una,

Misceantur exactè in diplomate, & efficiatur Emplastrum sive Ceratum Cephalicum præstans, Vertebris colli, Fronti, Temporibus & Vertici applicandum.

Nota: Non me latet, quod *flores huic Cerato destinati,* non uno eodemque tempore floreant, utpotè *flores Persicorum, Acaciarum & Sambuci*, item *Cheyri, Gemmæ nec non Populi arboris*, inter summa Veris initia prosiliunt, quo tempore anni *folia Betonicæ cum floribus, folia præterea Nucis juglandis arboris,* & *Verbenæ* nondum prorupêre, idcircò suadeo & necessum est, ut superioribus huic Cerato *destinatis Resinis, Gummatibus, Cerâ & Oleis destillatis* jam invicem liquatis & mixtis, summo Veris initio, *Gemmæ populi arboris, Flores Acaciarum & Persicorum*, item *Cheyri*, subtilissimè incisa & contusa adumentur, donec reliquum suo debito tempore superaddi, & Ceratum hoc ex toto & dextrè tandem perfici possit.

CATAPLASMA CEPHALICUM IN DELIRIIS EX TEMPORE PARANDUM.

Recip. *Nucl. Persicorum unc. unam semis,*
Cerasorum drach. sex,
Fol. recent. Nucis Ingland. arboris,
Herb. recent. Majoranæ,
Menthæ aquaticæ,
Rorismarini ana unc. unam,
Verbenæ,
Flor. Rosarum recent. sale condit. ana unc. unam semis,
Limacum recentium Nro. XV.
Micæ Panis tritici unc. unam semis,
Salis communis unc. unam,
Nuc. Moschat. unc. semis,

Contundantur optimè & diu in mortario ad formam pulticulæ, cum *s. q. Aceti Sambucini*, fiatque Cataplasma Cephalicum, Fronti & Temporibus in Deliriis, Febribus Hungaricis, & Maniâ applicandum.

CATA-

CATAPLASMA CORDIALE.

Recip. *Cortic. Citri recent.*
Arantior. recent. ana extim. unc. unam semis,
Herb. recent. Basilici,
Majoranæ,
Rorismarini ana unc. semis,
Flor. recent. Rosarum sale cond. unc. unam semis,
Tunicarum unc. semis,
Croci Austriaci drach. duas,
Maceris unciam semis,
Garyophillorum drach. duas,
Bacc. Lauri drach. tres,

Conscindantur & contundantur diu multumque in mortario ad formam pultis & Cataplasmatis consistentiam, cum *s. q. Aceti Rosarum & flor. Tunicarum*, quibus adde

Olei Nucist. expressi unc. semis,
Camphoræ drachm. unam semis,

Misceantur exactè & fiat Cataplasma Cordi & Pulsibus applicandum, quod cùm in diuturnum & longum tempus asservari nequeat, pro quolibet Ægroto, tempore Verno, Æstivo & Autumnali protinus parari poterit.

CATAPLASMA SPLENETICUM.

Recip. *Rad. recent. Apii,*
Calami aromat.
Pimpinellæ ana uncias duas,
Pyrethri unc. semis,
Herb. recent. Agrimon.
Cicutæ,
Matrissylvæ,
Nasturtii,
Nicotianæ,
Rorismarini,
Scolopendrii ana unc. duas,
Verbenæ unc. tres,
Capparum recent. sale condit. unc. quatuor,

Incisa coquantur in *s. q. Aquæ simplicis, repetitis vicibus affusa,* quousque tota virtus extracta sit, decoctiones colentur, & junctim ad remanentiam unciarum sex leniter evaporent, relicto liquido extracto adde

Mellis simplicis unc. octo,

atque iterum ad craſſam & priſtinam *Mellis* conſiſtentiam coquendo ſinito exhalare, hoc *Melle* interim aſſervato accipe

Pul. Gum. Ammoniaci unc. quatuor,

Quod diluatur ſupra ignem lenem ad formam pulticulæ cum ſ. q.

Spiritus & phlegmatis acidi ſalis Armeniaci, cum fru-
mento ſtill. & ſuprà edocti,

Cui adde ſequentia ſubtiliſſimè inciſa & contuſa, nimirùm

Rad. recent. Apii,
Bryoniæ,
Enulæ Camp.
Herb. recent. Cicutæ,
Naſturtii,
Perſicariæ,
Roriſmarini ana unc. duas,
Verbenæ unc. tres,

Item inſpergantur

Pul. Bacc. Lauri,
Myrrharubræ,
Olibani,
Succini albi anæ unc. duæ,
Sem. Eruca,
Naſturtii ana unc. una,

Et Mellis ſuperioris aſſervati q. ſ. pro Cataplaſmate duriore & durabili efformando. Fiat Cataplaſma ſplenet:cum pro uſu.

CERATUM VULNERARIUM.

Recip. *Terebynthinæ claræ odoratæ uncias ſex,*
in qua liquefiant,
Pulv. Gum. Elemi.
Maſtichis el.
Myrrhæ,
Olibani,
Oppopanacis, ana uncia una ſemis,

His omnibus in diplomate leni calore liquefactis, adjungantur ſ. a.

Cereæ Citrinæ novæ unc. octo,
Balſami noſtri Martialis,
Sulphuris ana infrà edocend. unc. duæ,

Et dum adhuc in diplomate liquefacta calent, ſuperaddantur ſequentia ſubtiliſſimè & minutiſſimè inciſa & contuſa, utpotè:

Rad. recent. Symphyti majoris uncias duas,
Herb. recent. Alchimillæ,
Conſolidæ ſar. &c.

Mille-

Millefolii,
Plantag. minoris acutifolii,
Pyrolæ ana uncia una semis,
Gemmarum Populi arboris recent. unc. tres,
Summit. Abietis vel Laricis recent. uncias duas semis,
Flor. recent Hyperici unc. duæ,

Item

Succor. inspissatorum Millefolii,
Plantag. min. ana drach. sex,
Momord. fructus unc. una semis,

Nec non

Pulv. Aloës Epaticæ, cum succo momordicæ ad pultis formam dilutæ unc. duæ semis,
Sanguinis Draconis unc. una,
Croci Martis, ex Vitriolo ejusdem, per calcinationem parati unc. duæ semis,
Lapidis Calaminaris prius candefacti ac in succo momord. extincti, & cum eodem præparati, iterumque exsiccati unc. tres,
Sarcocollæ unc. una semis,
Lapid. Osteocollæ itidem cum succo Millefolii vel momordicæ parati, iterumque exsiccati unc. tres,
Sacchari Saturni resolubilis ex Minio parati, unc. una semis,

Ultimò cùm quasi refrixerint, admisceantur

Balsami Indici de Peru unc. duæ,

Fiat omnibus exactè unitis Emplastrum seu Ceratum, Vulneribus cunctis accommodatum & proficuum.

BALSAMUM MARTIALE VULNERARIUM PRO SUPRASCRIPTO CERATO.

Recip. *Limaturæ Chalybis unc. quatuor*,
Huic Vitro capaci prius impositæ superaffundatur

Olei Terebynth. rubri unc. quatuor vel quinque,

Pòst guttatim & pedetentim instilletur, ne nimiùm effervescat:

Spiritus Nitri unc. tres,

Stent in digestione diebus aliquot leni in calore, tandemque per decantationem & inclinationem balsamum à fœtibus ferri separetur, usuique asservetur, pro summo Vulnerario.

BALSAMUM SULPHURIS VULNERARIUM PRO SUPRADICTO PERINDE CERATO.

Recip. *Sulphuris boni pulv. uncias tres circiter,*
Salis Tartari tantundem,
Liquefiant super igne lento, in patella terrea, & efficietur *hepar Sulphuris*, cui in pulverem redacto, ac vitro vel Alembico parvo immisso, superfundatur

Olei Terebynth. rubri ſ. q.

ad supereminentiam trium vel quatuor digitorum circiter, factâque digestione in calore leni diebus aliquot, separetur balsamum per inclinationem, & servetur tanquam balsamum Vulnerarium præstantissimum.

EPILOGUS.

Atque hæc sunt, quibus ut Tuo, Lector Amice, desiderio, Tuorum Ægrotantium utilitati, commodoque suppetias ferrem passus sum me avocari à multifariis negotiis, occupationibusque necessariis & per multis: privatâ quidem curâ elaborata sunt, sed experientiâ cùm mihi satisfaciant, Tuo usui adaptata, Te non seducent. Tibi dedi, inquam, ut hocce Tractatu divulgârim haudquaquam compositiones paucas nec ignobiles, imò Sylvam excellentium medicamentorum ob oculos posuerim, pro quorum syncerâ & fideli communicatione, ut ex candido & communitati serviendi studio, fervente animo profecta sunt, ita solùm ut benevolâ vicissim grati animi exhibitione acceptes, pro omissis verò conniventiam & veniam lubenter concedas, unum reposco. Quæ si Tibi allubita fuerint, æqui bonique haud gravatè consules, atque ut iis ad Tuam, Proximique sanitatem seu tuendam, seu labefactatam restituendam cum benedictione Divinâ feliciter utaris, potiarisque, quâ promptitudine animi illa Tecum communia feci, eâdem syncerè & toto corde omnia ad votum Tibi evenire exopto.

Vale!

FINIS.

INDEX

INDEX SPECIALIS.

Index Specialis omnium rerum notabilium, compositorumque medicamentorum, in ambabus Appendicibus contentorum: ubi notandum, quòd numerus 1. Appendicem ad Animadversiones in Pharmacopœiam Augustanam, numerus verò 2. Appendicem ad Pharmacopœiam Regiam, denotet, adeò ut Benevolus Lector Ariadnæo quasi filo, quo velit, protinus ducatur.

IN Aceti & succorum acidorum destillatione ingens differentia, 1. 3
Acetorum medicinalium vera præparatio, 2. 174
Acetum Antipestilentiale, 2. 173
Acetum vegetabilibus affusum, in aciditate non destruitur, 1. 3
Ex Acidis & Salsis neutrum quid generatur, 1. 39
Agarici præparatio dextra, 1. 66
Alexipharmaca non agunt contra venena quatenus calida vel frigida, sed qualitate occultâ à totâ suâ substantiâ promanante, 1. 54
Aloës præparatio, 1. 67
Animalia quomodo destillanda, 1. 48
Antidotus Alexipharm. Regia, 2. 157
alia, 2. 159
Antimonii nomen saltem apud aliquos planè odiosum, 1. 107
Antimonium una & principalis columna est universæ medicinæ, ibid.
Antimonii vis venenata quomodo corrigenda, 1. 102
Apozema Stomachicum, 1. 2
Aqua Acovistica sive ad auditum, 1. 39
Antapoplectica, 2. 167
Aquæ Asthmaticæ ulterior dilucidatio, 1. 43
Cordialis temperatæ nova descriptio, 1. 50
Aqua Cordialis, 2. 169
Antepileptica, 2. 170
Hirundinum & Catellorum secreta, 1. 48
Lithargyrii accuratius examinatur, 1. 54
Nephritica Brengeri examini subjicitur, 1. 58
Regia vera, 1. 76
Antiscorbutica Dorncreilii ventilatur, 1. 43
Cur Aquis destillatis nonnullis, residuarum à destillatione specierum extractum admiscere præceperim, 1. 51
Baccæ Ben aptum sunt receptaculum odoris & sua volentiæ ex odoratis concipiendæ, 1. 62

INDEX.

Balſamum Antapoplecticum, 1. 85
pro ſexu fœmineo, 1. 86
Balſamorum corpus, 1. 88
Balſam. Embryonum ulterius ventilatur, 1. 46
Balſami Embryonum nova deſcriptio, 1. ibid.
Balſamum Hyſtericum ſeu Matricale, 1. 86
Loimicum ſeu Antipeſtilentiale, 1. ibid.
Martiale Vulneralium, 2. 197
Rutæ, juxta quam omnia balſama ſimplicia parari poſſunt, 1. 87
Sulphuris Vulnerarium, 2. 198
Bezoar lapis verus, ipſâ raritate rarior, 1. 90
Bolus armena pro ſiſtendo ſanguinis fluxu, 1. 60
ad ſanguinem internè coagulatum, 1. 70
dyſenteriam & immodicam Diarrhœam. 1. 70
Caponis gelatina ſeu Gareda compoſita, 2. 129
Cataplaſma Cephalicum in deliriis, 2. 194
Cordiale, 195
Splenеticum 1. ibid.
Cautela de ſucco Granatorum, 1. 8
Cauterium, 1. 70
Ceratum de Bethonica Cephalicum, 2. 193
Vulnerarium, 2. 196
Circulatio univerſi beneficio ſolis peragitur, 1. 20
Confectio ſeu Antidotus alexipharmaca Regia, 2. 157
Cordialis Regia, 2. 161
alia, ibid.
Hepatica calida, 2. 163
frigida, 2. 164
Emetica citrata, 2. 122
ſive Condit. pectorale antiphthiſicum, 2. 164
Splenetica, 2. 166
Stomachicâ, ibid.
Cremor Tartari purgans, 1. 108
variis rerum virtutibus imbui poteſt, ibid.
Chyloſtagma Diaphoreticum Mind. ult. examinatur, 1. 49
Decoctum ad Eryſipelata, 2. 130
contra ſputum ſanguinis, 2. 131
Pectorale contra phthiſin, 2. ibid.
Diacitrum ſolidum ſolutivum, 2. 122
Diacodion Actuarii, 1. 29
Aſthmaticum contra tuſſim diuturnam, 2. 139
Galeni, 1. 28
Joan. Bap. Montani, 1. 28

ex ſapa Vini, 1. 29
contra ſputum ſanguinis, 2. 140
Diacorum Meſuæ nobile medicam. Stomachicum, 1. 37
Electuar. Lenitivum pro Clyſteribus anodynis. 2. 118
Electuarium paſſulatum, 2. 119
Elixir. emeticum ex Vegetabilibus, 1. 160
aliud potentius helleb. ibid.
Hepaticum & ſplenecticum, 1. 80
Stomachicum, 1. 78
Vitæ Regium, 1. ibid
Uterinum ſeu Hyſtericum, 1. 79
Empl. Hepaticum, 2. 188
Nervinum, 2. 189
Spleneticum, 2. 101
Antipodagricum, 2. 190
Stomachicum, 2. 193
Antivenereum, 2. ibid.
Epithema capitale liquidum, 2. 174
Cordiale & pro pulſibus liquid. 175
Hepaticum liquidum aperitivum. ibid.
Pectorale, 2. 177
Spleneticum liquidum aperit. 176
Stomachicum calefaciens, 177
Eſſentia antidotalis alexipharmaca, 1. 41
Alexipharmaca vilior, 1. 42
Emetica, 1. 105
Martis aperitiva 1. 80
Corallina, 1. 81
Sulphuris alexipharm. ſaccharina, 2. 158
Exhalationes terræ quid? 1. 20
Extract. Antipeſtilentiale, 2. 127
Extracta ventilantur, 1. 22
Extractorum differentia, 1. 23
Extractorum reſinoſorum dextra præparatio, 1. 24
Extracta reſinoſa aqueis vehiculis non commiſcenda, 1. 25
qua ratione legitimè exhibenda, 1. 26
Extractum Hydragogum, 2. 128
Farrago diverſarum ſimplicium damnatur, 1. 52
Fœculæ radicum effœtum medicamenti genus, 1. 88
Gummata dum ſolvuntur non diu coquenda ſunt, 1. 36
Hiſtoria nocumenti à Magiſteriis vulgar. 1. 92
Infuſio purgans cum Manna, 2. 118
Julapium de Vino præſtantiſſimum, 2. 115
De Lapide Bezoar orient. notatu digna, 1. 90

Lapidis

INDEX.

Lapidis Bezoar. orient. adulterini ſtructura. 1. ibid.
Liquor Alexipharmacus, 2. 171
Cordialis calidus, ibid.
frigidus, 172
Lithontripticus, 2. ibid.
Looch Sanum, 1. 30
Magiſt. lapidis Lazuli vera præparatio, 1. 70
Magiſt. ſolubilium vera præparatio, 1. 90
Magiſteria Vegetabilium fœculis præferenda, 1. 82
Medicamenta in virtutibus non ſunt caſtranda, 1. 38
In Medicamentorum præparationibus rerum virtutes integrè conſervandæ ſunt, 1. 4
Medicamentum reale ſeu Panacæa, 1. 79
Medicorum nonnulli non ſemper officio ſuo ſatisfaciunt, ſcribendo, fiat ſecundùm artem, 1. 65
Melichii ſententia de Pilulis ventilatur, 1. 17
Menſtruum ſecretum, 1. 72
Metalla calcinata utrum ſal dent, 95
Millepedum ſeu Aſellorum præparatio, 1. 68
de Mithridatio Damocratis, 1. 37
Morſelli Cephalici Regii, 2. 145
alii, 146
Confortantes viriles, ibid.
Hepatici, 2. 107
alii, ibid.
Contra Phthiſin, 2. 149
Stomachici, 2. 150
alii, 2. ibid.
Nocumentum à reſinoſis purgantibus undè? 2. 121
Noxium in Medendo quid? 1. 54
Oleum Abſinthii, 2. 178
Antapoplecticum, 2. 179
Carminativum anticolicum, 2. ibid.
Cinamomi grave, 1. 6
Spiritibus ardentibus ſolvitur, 1. ibid.
de Oleo Citri Still. notatu digna, 2. 144
Oleum Lacertarum contra Hernias, 2. 180
Oleum Laurinum quomodo paretur, 1. 61
Maſtichinum & Styracis non indigent coctione, 1. ibid.
Nervinum, 2. 180
Olei Nuciſtæ veri ſigna, 1. 86
Oleum Saponis Veneti antipodagricum, 1. 84
Scorpionum ſimplex, 1. 61
Stomachicum compoſitum, 2. 181

Tartari

Tartari ſpleneticum, 1. 84
Panis venenorum attractivum non correctivum, 1. 35
Paradoxum de Sole, 1. 21
Paſſulæ laxativæ ſeu purgantes. 2. 120
aliæ, 2. ibid.
Paſta ſeu Maſſa odorata pro Mulieribus, 2. 156
antipeſtilentialis, 2. ibid.
Paſtilli pectorales Antiphthiſici, 2. 155
Pilulæ de Ammoniaco Quercetani ventilantur, 1. 21
Confortantes, 2. 124
Hydragogæ, 1. 18
Hyſtericæ ſeu Matricales, 2. 125
ſeu Medicina Regia, 2. 123
Odontalgicæ. 2. 126
Stomachicæ roborantes, 2. ibid.
de Tartaro Quercetani ventil. 1. 22
de Therebynth. ad Gonorrh. virulentam, 2. 127
Præparationes noſtræ Pharmacopœis ſedulis non ſunt difficiles, 1. 12
Pulv. Alexipharmacus ex tribus, 2. 133
Bezoardicus aureus, 2. ibid.
Cyprius precioſus, 2. 135
Emeticus correctus, 1. 105
Epilepticus Mineralis, 2. 135
ex Animalibus, 134
ex Vegetabilibus, ibid.
ad generandum Lac, 2. 136
Hydragogus, 2. 135
Antipleuriticus, 2. 137
Antiphthiſicus, ibid.
Sternutatorius capitalis, 2. 138
contra tuſſim Infantûm & Senûm, 2. ibid.
ad Veneream luem, 2. 139
Res deſtillandæ non ſemper parent nutui noſtro, 1. 60
Reſinas purgantes cum amygdalis ſubigere neceſſum eſt, 2. 121
Rob Ceraſorum purgans, 2. ibid.
Ruſticis & pauperculis ſaluberrima & ſimpliciſſima quandoque remedia divinitus revelantur, 1. 53
Saccharum cum aceto non clarificandum, & cur? 1. 3
Citratum tabulatum, 2. 144
Saccharum Saturni an verum Sal ſit? 1. 95
an Sal ſit plumbi aut plumbum ſolutum? 1. 97
De Salibus vera doctrina, 1. 93
Sal Coralliorum examinatur, 1. 99
an detur? 1. ibid.

Salium

Salium differentia, 1. ibid.
Salia essentialia vulgò dicta sunt Tartarus, 1. 93
Salia volatilia purè salsa, 1. 99
acido salsa, 1. 100
acido-salsa fixa, 1. 101
purè salsa sunt alkalia, 1. ibid.
Sal Volatile Urinæ quot modis parandum, 1. 99
Urinosum ex sale armeniaco, 1. 100
Vitrioli emeticum Salæ examinatur, 1. 97
Inter Salia Theriacalia Antiquorum & Authoris ingens differentia, 1. 38
Sapo odoratus, 2. 157
Simplicia congrua & incongrua destill. 1. 58
Solis calor ejusque radii Vegetabilibus à suâ radice evulsis, multum detrahit, 1. 20
Species Cordiales temperatæ, 2. 142
Species de Gemmis calidæ precioſæ, 2. ibid.
frigidæ, 2. 143
Specifica remedia morbis cunctis inquirenda, 1. 54
Spiritus Alexipharmacus compositus, 1. 77
Spiritus Ardentes ex frigidioribus naturâ suâ plantis an refrigerent, 2. 145
Spiritus Hysterici, 1. 77
Salis armeniaci acidus, 1. 73
salsus, 1. 74
Nitri rubicundus, 1. 75
circulatus, 1. 76
Veneris, 1. 72
Vitrioli essentificatus, 1. 76
Succis acidis in abstractione nil demitur de virtutibus, 1. 5
Succus Citri cur in M. B. abstrahendus pro Syrupo, 1. 2
Succi expressi cum Oleis liquidis non verè permiscentur, 1. 62
Syrupus de Absinthio hydragogus, 2. 112
flor. Acaciarum, 1. 13
Acetosæ & Acetosellæ quomodo legit. parand. 1. 3
de Syrupo Acetos. simpl. observatio, 1. ibid.
Syrupi Arantiorum ex succo dextra præparatio, 1. 5
Syrupi Arantiorum de Corticibus encomia si dextrè paratus, 1. ibid.
Syrupi Coralliorum dextra præparatio, 1. 7
alia confectio, 1. ibid.
Syrupus Corallinus alius, 2. 113
Syrupi de Cinamomo præparatio, ibid.
de Corticibus Citri vera præparatio, 1. 8
Syrupus Dialtheæ in emulsionem convertitur, 1. 3

Syrupi

INDEX.

Syrupi Emetici Angeli Salæ alia confectio, 1. 14
Syrupus Emeticus ex Vegetabilibus, 2. 116
ex Vino & Antimonio correcto, 1. 5
Gemmatus cordialis calefaciens, 2. 113
refrigerans, 2. 114
Hydragogus, 2. 115
de Hyssopo, 1. 9
de Mentha major Mesuæ, 1. ibid.
Mercurialis purgans, 2. 117
alius ibidem.
Florum persicorum, 1. 16
Tartarus emeticus purgans, 1. 107
Terræ mortuæ quandoque imprægnantur ab Astris, 1. 20
Theriaca Romana ulterius ventilatur, 1. 36
Diatessaron & August. commendatur, 1. 37
Tinctura Antimonii, 1. 83
Martis adstringens, 1. ibid.
Tincturæ vulgares meræ solutiones sunt, 1. 82
Tragac. & Gum. Arabic. medicamenta glutinosa effic. 1. 31
Tragea grossa cephalica, 2. 151
vilior. ibid.
stomachalis, 2. 152
Trochisci Cephalici, 2. ibid.
Cordiales Regii, 2. 154
Hedychroi examinantur, 1. 34
de Scilla ventilantur, 1. 35
Sublinguales Alexipharmaci, 2. 125
de Viperis examinantur, 1. 35
Vegetabilia esculenta nulli destillationi apta, 1. 44
in sole non sunt exsiccanda, 1. 20
quæ apta vel inepta coctioni, 1. 38
Veritas suppressa nocumento est, 1. 13
Veritati undæ odium non conciliandum, ibid.
Vitriola non sunt salia vera, 1. 96
Vitriola soluta sunt metalla non salia, 1. 98
De Unguentorum præparatione artificiosa, 1. 64
Unguent. de Alabastro præstantiss. 1. 63
ad ambusta, 2. 181
aliud ad eadem, 182
Carminativum, 2. ibid.
Cephalicum, 2. 183
Cordiale, 2. 184
Hepaticum aperiens & roborans, 2. 185
Nervinum, 2. 186

Splene-

alter,	289	
Saxonicus,	ibid.	AN.
Viperarum alexipharmacus,	379	AN.
alter,	380	
Rob Juniperinum,	104.832	AN.
Sambucinum,	105.832	AN.
Saccharum Citratum tabulatum,	144	AP.P.R.
Sal theriacale ſimplex,	489	AN.
Theriacale compoſitum ex Viperis,	488	AN.
aliud,	ibid.	
Salis theriacalis alius modus,	ibid.	
Sal Viperinum volatile,	486.487	AN.
Species Alexipharmacæ,	867	P.R.
Cordiales alexipharm. Beped.	313	AN.
temporatæ,	142	AP.P.R.
Elect. contra peſtem. Ferd. Imp.	332	AN.
de Gemmis calid. precioſæ,	142	AP.P.R.
frigidæ,	143	AP.P.R.
Liberantis incerti Authoris,	326	AN.
Spiritus Alexipharmacus compoſitus,	77	AP.AN.
Diapente ſeu Eſſent. theriacalis camphor.	751	AN.
Suffitus peſtilentialis,	877	P.R.
Syrupus acetoſit. Citri cum Cortieibus,	17.814	P.R.
Card. bened. ex ſucco,	41.819	AN.
alius genuinus,	8	AP.AN.
Fumaria ſ.	51.820	AN.
Gemmatus Cordialis calefaciens.	113	AP.P.R.
refrigerans,	114	
Syrupus de Scordio compoſitus,	77.827	AN.
ſimplex,	77.826	AN.
Theriaca Andromachi,	400	AN.
Diateſſaron Meſuæ,	421	AN.
ſimplex,	881	P.R.
Trochiſci ſublinguales completi,	269.874	AN.
incompleti,	370	
Troch. ſublinguales alexipharmaci,	155	AP.P.R.
antipeſtilentiales,	874	P.R.
alii,	875	
Viperini alexiph. confortantes,	379	AN.
alii,	380	

FINIS.

41252 5

Fondo
antico
3020

BIBLIOTECA MEDICEO
VENEZIA
VENETO



ISTITUTO VENETO
VENEZIA

BIBLIOTECA